REGICIDIUM.

Sanguinis Scrutinium.

TRAGI-COMOEDIA

MEMORATU DIGNISSIMA,

CEDRATIS TABULIS

meritò imprimenda.

Indeleta manet Superum vindicta Tyrannis,
Nec Sociis Cladis pœna ferenda minùs.
Lucret.

LONDINI,
Typis *J. Grismond*, 1665.

ORNATISSIMO VIRO; HEROI
SPECTATISSIMO, PRÆLUSTRI
STEMMATE NOBILISSIMO

SURCULO, TALI & TANTO PATRE
QUO NEMO CLARIOR, FILIO QUO
NEMO OPTATIOR DIGNISSIMO,

GULIELMO WENTWORTH

COMITI STRAFFORDIÆ,

Ri. Brathwait,

FAMILIÆ STRAFFORDIENSI
DEDITISSIMUS,

HANC TRAGI--COMMOEDIAM
IN PERPETUAM POSTERIS
MEMORIAM,

REDIVIVÆ MAJESTATIS
GLORIAM,

HUMILLIME D. D. D.

Drammatis Perſonæ.

PONTANUS, FUROSTES, PALMARIUS } *Judices.* — { Scæna *Arcadia.* }

CHRYSOLOGUS, ALBITURNERUS } *Conſules.*

HÆRESIUS, *Anarchius.*
CHARESIES.
CLEMENTIUS.
CALIDONIUS.
MAGIRIS.
PETRONIUS, *Sacrificulus.*
PORCIO.
JONIUS.
AXELLIO.
FOSSORIUS.
RABÆO.
SICARIUS.
CREMANTIO.
CORILÆUS.
ARGASTO.
PENITIUS.
} Proditores.

OMPHALIA *Uxor Her.*
BULLÆUS *Præco pub.*
DUNÆUS *Lictor Tiburnius.*
PIMPINELLA *Uxor* DUNÆI.
Civici & Ruſtici ad Comitiale Forum gregatim Confluentes.

MURATUS, & SILVIFLUUS *Reos ſe Confitentes.*

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ

Actorum Tyrannidis.

Velato ſed vivido more, Proditorum mortes ſunt oſtenſæ; Varios motus, & affectus in tempore mortis præ ſe ferentes.

In Hæresio *Spiritus Elatio.*
In Chareste *Audacia.*
In Clementio *Arrogantia.*
In Calidonio *Impudentia.*
In Magiri *Submiſsio.*
In Petronio *Dejectio.*
In Porcio *Militia.*
In Jonio *Argutia.*
In Axellio *Reſipiſcentia.*
In Fossorio *Erubeſcentia.*
In Rabæo *Aſtutia.*
In Sicario *Immodeſtia.*
In Cremantio *Pœnitentia.*
In Corilæo *Temulentia.*
In Argasto *Confidentia.*
In Penitio *Dementia.*
In Murato & Sylvifluo *Confeſsio.*

In Honorem *Authoris* hujus Tragi-Comœdiæ omni Encomio Superioris, Parnaſsidum Chorus.

Quam gravi vultu condit Melpomene *modos?*
Quam Tragico ſucco Regum deplangit Ro-
Et Placido curſu perfidæ Gentis neces (*gos,*
Depinxit Vates? Zeuxis *non artem petit,*
Lyſippi *nec docilem manum:* Hipocrene *fluit*
Omnes per venas Authoris inclyti: cingite
Frontem perenni Bacchare: Mæoniæ *forum*
Clariorem nullum peperit, nec Genio parem.

F. B.

Prologus.

Scænæ dum novo ſaliunt Theatro
Salibus, ludis, levibuſque jocis,
Nos alto magìs canimus cothurno
Veſtibus atris, tepidiſque genis
Undique ſparſo: Principis pii
Spectetis Cladem, Proditoris necem
Emeritò clauſam: nulla nequitiæ
Ars latet condita: Judices læſam
Juſtitiam cenſent. Illi qui prius

Gemmis, & purpuris micuere claris
Expositi pœnis, reliquêre vias
Sanguine tinctas, repetuntque aras
Supplici more: & si vitâ frui
Concedant Fata (sed concedi nequit)
Diceret quisquis non sum qui fui,
Novi qui Cælum, solumque regit.
At qui formidine pœnarum dolent
Aspectum mortis tepidè gementes,
Nec pio Superos affectu colent,
Unicè metu sunt pœnitentes.
Hi sunt qui pœnas meruêre graves,
Hi sunt qui Scœnis perière nostris,
Ominis mali simulantes Aves,
Regis, & Regni latitantes hostes.
Sin, Spectatores, *spatiari juvat*
Pascuis lætis, Floribus amœnis,
Musa delicias palato parat,
Mulcendo lepidis auriculas scœnis.
Sin tot Facetiis affluat Mimus
Quo Spectatores attrahat Calamus,
Applausu vestro redivivi simus,
Ingenuo vati reddite palmas.
Spectate interim quid Aglaia *donat,*
Vespera diem grata coronat.

REGI-

REGICIDIUM.

Sanguinis Scrutinium.

TRAGI--COMOEDIA.

ACTUS PRIMUS.

SCÆNA PRIMA.

Intrat Bullæus, & Dunæus.

Bullæus. HEus *Dunne*, mi *Dunne*!

Dunæus. Quid novi, mi *Bulle*?

Bullæus. Novæ reſtes, novæ veſtes, nova omnia.

Dun. Nova omnia! Bona omina.--Suboleo lucrum.

Nec quiſquam erit in hoc negotio ſolertior. Quid vis me parare, mi egregie *Bulle*?

Bull. Acuantur ſecures, parentur funes. Inſtar *Myrmidonum* confluunt Proditores. Ut Apium examina ad Peſſulum convolant, coacti

quidem, aliter non venirent. Iſta omnia pendent adhuc in lite; & ſub Judice lis eſt: Pendebunt verò, ictu oculi citiùs, in reſte, & de proditione tunc actum eſt.

Dun. Ha-ha-ha--ſi ita ſe res habeat, *Ego* & *Pimpinella* mea toti erimus decorati, deaurati, ſericati, purpurati. Splendidè apparebit *Lictor* in verticem Patibuli.

Bull. A Capite ad calcem nitidulus eris homo, mi *Dunne*: ac parûm *Conopii* tali non ſufficiet operi.

Dun. Id Populus curet; parùm te moveat. Novi ſatis quid o'ficio meo competat. Per tot annos antiquo *ſuſpendii* ſervitio, & Armigeri titulo diutiùs decorato fui deſignatus, Nonne me tunc magnoperè puderet illius Artificii immemorem fore, cujus tam fidelis extiti, & ad omnes Anni terminos tam aſsiduus?

Bull. Túne Armiger! ubinam inſignia, obſecro?

Dun. Non longè à *Padingtono* diſtantem domum meam invenies multas per temporum ſeries à Majoribus meis ſucceſsivè devolutam: ac conſpicuis etiam præ cæteris Nominibus decoram. *Taurum* enim *Dirickum*, hominem laquei artem optimè callentem quo taceam, quid de *Brandino* referam? qui nobiſcum nuperrimè floruit, aſcendendi ſcalam agilem ſolertiam

lertiam retinuit, in tractando & legando funem eximiam artem habuit, & pediculosam Angiportam eam vulgò appellatam LONGLANE, pendulis vestibus cujusque generis multifariè ditavit. Et quâ familiâ prognatum se fore, quis ni omnium ignarus, penitus ignorat?

Bull. Ista apprimè calleo; quo autem tendunt insignia illa de quorum antiquitate tantoperè jactitas vehementer scire cupio, quænam illa sunt.

Dun. Adi, audi, & accipe. Haud *Plebeia* sunt sed altè *pendentia*, tenui stamine, sublimi nascentia stemmate.

Bull. Narra obsecro, quænam sunt ista Heroica signa.

Dun. In campo meo *Sable-cruento* nodosis funibus implicito, primitùs porto *Tres arbores*, *duos Rampantes* & *unum Crossantem*, à vertice *Restem pendentem*, & in nodo Hoc Elogium, NE PLUS ULTRA. Istáne sunt generosæ domus genuina Signa?

Bull. Egregia narras—— Et nunc tua Messis opima est. Confluunt *Patientes*, saltim ii qui passuri sunt; *Gemonias* erunt *Scalas*, illico ascendentes, restésque sequuntur. Hoc ipso die (moras enim texere periculosum) acciti sunt, & accersiti coram Judicibus, quibus nulli in forensibus prudentiores constant, vel integriores,

griores, ad rationem reddendam illius nefariæ Proditionis, Cujus illa *Catilinæ* nè umbella fuit.

Dun. Regicidæ ſunt illi!

Bull. Ipſiſsimi.

Dun. Hóſne pœnam Capitis ſubire putas?

Bull. Si tu jugum, illi jugulum ſunt inventuri: Cruentatæ ſunt manus Regali ſanguine. Emeritò nemo eorum liber evaſurus eſt; tam ingratos ſe geſſêre ſubditos optimo Principi; Qui probitate mirâ præditus, exemplari pietate imbutus, pro nullâ aliâ culpâ Tyrannidis aſperrimas pœnas ſuſtinuit, quàm quod benè nimìs meruit. Pro veræ enim virtutis præmio falſi ſceleris pœnam ſubivit: graviſsimè mulctatus, in quo maximè meritus; ſummoperè à ſuis approbandus.

Dun. Hah-hah-hah; Sic mihi optimè evenit. A probitate Principis proceſsit Subditi improbitas. Proditorum nequitia noſtro artificio maxima contulit beneficia. *Tiburni* locus, & *reſtiarii* laqueus annuatìm *Dunæ* præbent redditus. Patientum lachrymæ parùm me mulcent; minùs molliunt.—Nihil aſſuetudine majús. Aſsiduitas puniendi ſenſum mihi abſtulit dolendi. Irriguos qui profert oculos, Carnificis officio parùm idoneus. In funem utì ſupremum finem oculos figunt miſeri;

miſeri; eorúmq; pœnis in me nimìs molle eſſet compati. Parentum etiam jugulis fatales me innectere nodos minimè doleret. Sat mihi ſit providere meis. Jacta eſt alea; quæ ſi aliis læva, nobis maximè auſpicia. Fortuna noſtra verè eſt *pendula*: Fata Latronis, fælicitas Carnificis: nec lentas in Judiciis lites, anxiè pendentes afficio: *ſuſpendia* valdè appeto, *ſuſpenſiones* vero in *Foris* horreo. Debitorem me iſta tardum nimìs faciunt. Clamant Panifices; vociferant Caupones: *quando ſolves debita* Dunæe? *Num de Publicâ fide pendebimus? num ſemper Cretâ utendum eſt?* Hoc modo vetulæ iſtæ ſordidæ die noctúque clamoribus ſuis me vexant. Interim nil domi reperio præter rerum inopiam, nil foris præter æs alienum.

Bull. At nunc meliora ſpirant tempora, *Dunæe.*

Dun. Perbellè ominaris; Nunc me Creditores ſalutant, ſplendidioribus titulis decorant, & Allâ nobili pocula coronant.— Pendentia tempora florent, quæ me novam induere faciam alliciant.

Bull. Apage, unde iſte ſtrepitus? } *ſtrepitus intus.*

Dun. O quàm dulciter ſonat iſta compedum melodia in auribus *Dunæi*! Nunc Captivi, ni me

me fallat conjectura mea, deducendi ſunt per *Nova Portam* ad Comitialem Sedem, Seſsionis nempe locum; ubi ſententiam Liberationis vel Damnationis ſunt ſubituri: *Perpauci* verò, ut ſpero evadent immunes. *Malis qui parcit, bonis nocet.*

Bull. Eheu! Quàm mira tibi incubuit cura de conſervatione Boni? Nuperrimè iſta cerebro tua ſurrepſit opinio. Incrementum tuum non de Bonis pendet, ſed malis.

Dun. Quis hoc ignorat, qui me novit? Si omni Termino Malefici non ſurgerent, ſævirent, pœnáſque luerent, *Dunæus* omni *Adamite* nudior, & inopior miſerè periret.— Sed non datur commorandi locus. Ecce plebeia Cohors quàm ſollicitè Captivos comitatur!

[*Intrant Captivi ad invicem compediti.*

Scæna Secunda.

Bull. Noſtíne Captivos?

Dun. Adhuc non novi; ſub manu verò cadentes meâ pleniùs noſcam. Secundùm varias Delinquentium noxas, varios effinge-

mus

mus nodos: in nullo me deficientem invenient, modò reos inveniant Judices.

Bull. Age *Dunæe*; istum ascende Colliculum, priusquam licentia tibi concessa fuerit conscendendi Scalam: Et ad unguem transeuntes exprimam.

Dun. Gratias tibi referam, si hoc præstiteris.

Bull. Gratias absque *gratiâ* certè referes, *Ascende*, & *audi*.

Ascendit.

Scæna Tertia.

Dun. QUinam ille qui tam composito vultu, & elato gestu prodit, ac si Judicium non timeret?

Bull. *Hæresius*; Anarchiæ deploratissimus Antistes: Ab incunabilis, rixis, & discordiis perditè deditus: & opinioni aliorum pertinaciter dissentaneus. Ille cui pari compede junctus est, *Christis* nomine dignoscitur. Vir omnium maximè ingratus, & Familiæ probitati suæ alienus. Majores enim erga Principem conspicui fuerant fidei Assertores. Pii etiam,

etiam, & cordati Fratris exemplum habuit, qui vitæ potius quàm fidei discrimen subiret. Nulla tamen horum mentem mutationi deditum commovere poterint.

Dun. Optimè meæ causæ consulit, pessimè suæ.

Bull. Proximus in ordine (si *ordinem* in hominibus omni ordini alienis spectemus) *Clementius* est, sed *Clementiâ* subditi erga Principem iniquè judicatum inhumaniter se gerens, nomen *Clementis* perægrè meruit; præpingui corpore sed perfido corde. Nec mirandum est, si perduelles isti tantoperè pingueſcunt, quando ab opibus legitimorum Subditorum talem succum, adipèmque hauserunt. Fidelitas in hisce *Civilibus Bellis*, semper macilenta rediit, Perfidia verò saginata nimis. Favos quos Apes summo labore suo, vel jure hæreditario collegissent, istæ Vespæ surreptitio more in Alvearia sua redigêrunt, & in hunc diem impunè possident. Omnis in ferro salus, cujus militari prætextu *Ense* non *Lege* tenentur omnia.

Dun. O Fælicia Secula, quæ talia nobis adferunt commoda! Redditum Domus nunquam persolvissem, si ista facinora non contigissent. Eorum lethum mihi lucrum. Quisnam autem *Ille* qui tam torto & tetrico vultu oculos

los in humum figit, ac ſi *os* in *ſublime* erigere non poterit? Certè credo ſi * lippientes oculi ejus Lampades eſſent, quòd nares illius paſsim ſparsímque ſcintillantes citò concremarent.

Bull. Perlepidè te geris; ſed aurem pauliſper præbe, & certiorem te faciam hujus *hominis* (Belluam dicere mallem) qui diformioris vultûs quàm vitæ nequit apparere. Iſte eſt verſatilis ille vulpes *Calidonius*, à ſuis æquè perofus ut aliis, à cunis perfidus, in turbidis aquis aſsiduè piſcans, ſua ſpargens, & diſsipans ut prodigus, aliena capiens, & rapiens ut avarus. Homo ſanguine plenus, & in ſaturitate eâ graviter ſitiens. Quis enim, ſi tyrannidis eruerentur ſepulchra, inveniretur qui inexplebili magìs laboravit ſiti? Optimis ſemper Civibus maximè infeſtus. Floris imò & Decoris iſtius Gentis deploratiſsimus inimicus. Nimiràm, Qui Patrem Patriæ & Regalis aſsertorem injuriæ, in extremam vitæ limitem conſtantiſsimè ſe geſſerat: Hunc tamen præclarum virum omni Encomio ſuperiorem (O inexpiabile ſcelus!) laqueo integerrimam vitam finire cogebat.

Dun. Talionis Legem, ni aliò cenſeatur, referam. Novum Ei nodum affabrè texam. Sed valdè vereor, ne manum evadendo meam

* CALIDONIUS STRABO.

in ſuam transferatur Regionem. Quod in Convitium Inſulæ noſtræ proculdubiò verteretur.

Bull. Quo Pacto Obſecro?

Dun. Quam craſſo es Cerebro, ut hoc interrogares! Quid terræ noſtræ laqueis aſſuetæ graviùs aſpergi potuit, quàm *Carnifici Publico*, Tiburnino titulo latiùs inſignito, ſuſpendii artem perdidiſſe?

Bull. Certè te puto animam citiùs quàm talem artem perditurum.

Dun. Mitte me meis. Plura ſcire vellem. Quis ille, qui tam lepidè nos perambulat: Et Geſticulantis more prodit, ac ſi omni crimine immunis cenſeretur? certè Hiſtrionem magìs quàm Proditorem dicerem.

Bull. Nihil ſcis, ſi eum neſcis. De illius famâ totus Orbis perſonat. Tyranni fuit Capellanus, Caper valdè laſcivus, Lanienæ Leno egregius; in Pulpitis Theatralis Theologus; in Curiâ Ardelio Aulicus; in Campo Seductor nefarius; Facetus nimìs in ſuadendo, facinoroſus in agendo; Paci publicæ, diſciplinæ Eccleſiæ inimiciſsimus.

Dun. Nè plura de eo referas, novi ſatis. Iſte eſt *Petronius Sacrificulus*, cujus vitam laqueo meo victimam fore plerique qui eum nôrunt ex animo optârunt.

Bul.

Bull. Pœnas luat ut meruit: ad alios transeamus, quo ab ungue feras hasce omni nequitiæ deditas meliùs dignoscas, & cuique noxæ nexum coaptes.

Dun. Age; arectam aurem teneo.

Bull. Ille à latere suo ligatus, *Magiris* appellatur; in lege communi diu versatus & valdè proficiens; at fortunæ naufragio laborans, quo Aleâ, vel Gulâ perperàm deciderat, operam quam in forensibus studiis impenderat in Proditoriam artem subtiliùs convertebat: Eo modo inaniter cogitans se non solùm perbrevi tempore deploratam reparare fortunam, sed etiam in altiorem dignitatis gradum accessurum; talis fuit scelerati hujus ambitio, ut pessimos motus citiùs amplexari, quam obscurè vivere eligeret. Ut summatim verò percurram omnia; ne ulterius sciscitaris; residuos Proditorum vultus tibi detegam, quò Effigies eorum atro Carbone notatas meliùs cognoscas. Hoc enim *Lictores* per multas temporum series disquirere assuêrunt. Duo illi seniles Proditores qui junctim prodeunt, sunt nominibus *Porcii*, & *Fonii* propriè distincti: & conditione æquè ac appellatione apprimè dijudicandi. Ille *Porcius*, licèt famæ & fortunæ dispendium, hoc præcipite motu subivit, temperantiæ tamen, & sobrietatis limites rarissimè transiret. Laboris

valdè patiens, aliorum incommodis æquè compatiens, ferre quam inferre injuriam multò paratior. Hiſce verò ſcopulis infeliciter naviculam illidens, miſerè periit, & probitatis priſtinæ ſplendorem amiſit: Sic * una hora penitùs delevit quod multi anni ſtudioſè contraxerunt. Iſte autem *Fonius* multò pravioris extitit conditionis: Res novas perditè moliens; aliorum opes tacitè diripiens, & placido ſub prætextu ſuis diſtribuens. Summa verò ſubtiliori naturæ ſuæ incubuit cura, in alienam ſegetem imittendi falcem, & alienas expilandi alveolaria ad ſuum incrementum; quod ſicuti altius creverit, ſuâ laborando mole funditùs corruit. In hac regione non perfidè minùs ſe geſsit, quàm in alienâ pernicioſè. In omnibus locis Proditorem ſe oſtenderit, non inſolentèr minùs ſe habuit in aggrediendo, & aggreſſus pertinacitèr proſequendo; donec foveam quam aliis fecerat, ſibi-ipſi paravit. —Sic cecidit *Teucer:* nec reviviſcendi ſpes minima relicta eſt. Indomitæ mentes hujus farraginis tam vago & incompoſito motu diſcurrunt, ut ſaltare ſolent plerúmque priuſquam periculum cernant: Et in omne prolabendi vitium, non citiùs ruunt quàm corruunt. —Si quos *Jupiter* vult perdere, hos dementat.

* *Ætas quod attulit, Hora abſtulit.*

Dum

Dun. Quid loqueris de *Jove?* noſtra cum *Plutone* aſſuetior eſt ſocietas. Mitte nugas, percurre relictos.

Bull. Agetur; parùm licèt mihi arrideat, Carnificis mandato præbere obſequium: — Sed nunc tua Secula florent. Ille qui tam procero geſtu nos præterit *Axtellius* eſt, homo *quidem* non minùs *verſutus* quàm *verſatilis*: nullus verò unquam fuit *Synon* tam Sinuoſè callidus, qui ſuo nitens ingenio ſeſe non deciperit. Sic capiens capitur, alioſque illudere quærens Illuditur.

Sic facti Artifices, *Phalaris*, *Phereclusque*, *Perillus*,
Quaque parant aliis pœna fuere ſuis.

At fatuo ſufficiat fato acquieſciſſe ſuo. Fidem erga Principem integram ſi ſervaſſet, hanc ignominiam Familiæ graviùs aſperſam prudentiùs evitaſſet.

Ille qui in dextram prodit *Foſſorius* eſt, cujus urbanitatem erga alios, admirari ſatis non valeo; quoties ſævitiam ejus adverſùs pium, & benignum Rectorem, cui tantoperè obſtrictus fuit, mecum recolo. Peſsimum enim omnium ſubivit officium in Regem pertrahendo ſuum ad Theatrum mortis. Cujus tractus compoſito illius animo benignè fuit ſuſceptus. O quam efferæ & cruentæ fuere manus, quæ tam perfido impenſæ erant mancipio! At nunc

approquinquat hora, in quâ rationem redditurus eſt proditionis ſuæ: Nulla admittenda eſt mora: Jacta eſt alea: nec inveniet rimam, per quam repat, aut evadendi periculum, quò barbara illius dementia eum pertraxit; tam miſerum eſt ſpe lucri, vel foveam alteri, ſuo diſcrimine parare. Relicto verùm eo, ad alios tranſeamus. Vidéſne eos qui à ſiniſtrâ prætereuntes tam ſuperciliosè ſe gerunt? Ad unguem exprimam. Ille eſt *Rabæo*, homo omnium peſsimus; fidei violator nequiſsimus; perfidii actor clandeſtinus, & perjurio ſuo egregiè notatus. Iſte enim fuit ſceleratiſsimus, & fælicitati maximè adverſus noſtræ in pejerando. Quam callidè enim & nefariè machinatus eſt contra integerrimum, & prudentiſsimum Conſulem, *Marti* æquè ac *Mercurio* deditum, fidelem Subditum, Patrem Patriæ, Principi Cuſtodem! At hunc perperàm jurando peremit, quo *titulum*, quem prænobilis ille Conſul meritò acquiſiverat, Familiæ ſuæ ſurreptitio more adjungat. Et fælicitèr hoc facinus omnium infæliciſsimum perpetrare proceſsit: vitam Primati omnium facilè Principi tollendo, & Titulum omnium maximè ignobili conciliando. Hoc enim modo ſplendorem famæ ſprevit, quò opes, & honores accumulet. Et hæc facillima fuit provinci-

tali homini nequam molienti, Publicæ libertati clanculùm insidianti, & sub eo Senatu alacritèr servitium præbenti, qui per fas, nefásque omnem exercere tyrannidem paratissimus inveniebatur. Quo florente, sæviente immò, nemo probus emicuit, quin relegationis sententiam subivit. Tam periculosum fuit sub iniquo Imperio æquè vivere; vel suis liberè sine direptione frui. Interim iste *Rabæus* religiosum se virum prætendit; elevationem oculorum callidè finxit: furatâ suâ Eloquentiâ, quâ nihil affectatius (utì homines Cumino allicere Columbas solent) Plebeios cœtus attraxit. Vísne ulteriùs? In Pulpitis dominatur; ventosi suffragia vulgi venatur; & sub prætextu Sanctitatis (ecquid Sceleratius!) Machinationes suas (ut Dæmon in fornace) subtiliter complevit. Nec opinandum est se, phanaticâ facundiâ suâ tot lucrasse animas in Pulpitis, quot congessit æra in loculis. In colligendo opes nemo promptior nec avidior; proditionis studiosior, nec simulatâ pietate suâ fluctuanti Imperio periculosior. Nec minùs quàm fluctuare potuit, sub jugo tantæ & tam longæ tyrannidis graviter serviens. Sed sat supérque de hac *Patrueli flammâ* diximus.

Observa illum à latere nos appropinquantem Capite velato, & oculis obducto, spectan-

tium effugere aſpectus ſtudioſè quærit, ſed operam perdit. * Iſte eſt enim ipſe *Sicarius*, homo egregiè notatus, & de grege Proditorū maximè nefarius. In *Hyberniâ* enim, inſtar agreſtis *Hybridis*, de improbitate ſuâ plus quàm Belluinâ gloriari non erubuit; imprudenter æquè ac impudēter jactans Se caput Principis obtruncaſſe; ſe proprio manu eum occidiſſe. Quò verò iſta jactantia? Nimirum quò opinionem apud eos juratiſsimos Monarchiæ faciliùs acquirat. Captandæ enim ſpe benevolentiæ eò illectus fuerit; vel augendi opes, quarum inopiâ valdè laborabat. Mentiri vero mallet quàm non obſervari: Perpetraſſe enim ſe aſſeruit (ut pleríque putant) quod nunquam commiſit. Publicum enim Carnificem illius *Regicidii* Actorem fuiſſe opinantur plurimi. Ex ore verò ſuo ſententiam accepturus eſt; cui ſine ſpe terreſtris veniæ meritò relinquatur. Ecce *Cremantio*; qui nuperrimè *Major* fuit, quàm cui potuit fortuna nocere! Qualem Dominionem poſtriduè in hac florente Civitate uſurpavit! Quam libertatem Olevaria erigendi Fora in locis ſacris inſolentèr aſſumpſit? Intra ædes *Pauli* Milites ſe inhumaniùs gerere vix poterint quàm Ille extra. At facti ſe doluit: Pectoris

* *De tali ſcelere jactare quid impudentius? quid exquiſito ſupplicio dignius?*

per-

percuſsit, & fortaſſe criminis odium pectori incuſsit. Saltim, ut aliquid boni referatur ingenuè dolenti, priuſquam longum vale dicatur vitæ, admittatur Ei Pſalmus Miſericordiæ.

Dun. Apage! Qui nam Ille?

Bull. In Triennio, de Quinquennio Membrum maximè vitioſum. Nonne eum nôſti, quem omnes nôrunt, oderunt, & in peſsimum hujus farraginis Nebulonem, unâ voce, uno voto palàm notârunt? Hic eſt *Coriolanus* ille, qui tot turbidos motus, & tumultuantes æſtus paſsim ſuſcitavit. Præpingui licèt Cerebro, & craſſâ Minervâ, Simultatum omnium Malleus exercitatiſsimus: Quo in ære nemo ditior, in Amicorum Claſſe pauperior.

Fana prophana fecit; Sedes Epiſcopales invaſit, redditus eorum deglubit. Fora publica litibus ſuis paſsim obſtrepuerunt. Nec Magnopere eum tetigit ſi in forenſibus ſuperatus fuerit. Nullius Judicis ſententiæ acquieſceret. Se Anglicanæ Libertatis Aſſertorem, & Vindicem clamaret. Puſillanimum licèt Pugilem omnes eum apprimè nôrunt, qui alacritatem Spiritus ſui ſunt experti in memorabili eo Certamine apud * VALLEM CURSORIS, in quâ iſte formidabilis *Hector* Veſ-

* RUNAWAY *DOWNS.*

pertilionem ſe geſsit, quamprimùm ut Hoſtem ſuſpexit. At fato relinquatur ſuo; cui ſubcumbat ut meruit. —Sed quò perrexit ille *Calidonius?* Quam lento gradu prodit ad *Comitiale Forum?* Nec mirum eſt; ne ſpecus relicta eſt evadendi necem. Turpitèr vixit, & turpiùs pereat. Cuncta Ei fuere venalia. Animam citiùs quam nummum perderet. Et in utróque, ni Superi immeritam ſibi gratiam præbeant, periturus eſt. Taliter vixit, ut nè Amicum habuit, qui in defenſionem illius exurgat. Authoribus Operum æquè ac Typographis Inquiſitores habuit, qui Libros Proditorios (eo enim nomine appellati erant omnes qui Fidelitatem docuerunt) furtivo more venales fecit: aliorum pœnam in ſui lucrum ſordidè convertens. Plures infra terram vermes corrodentes reperiet, quàm amicabiles teſtes ad propugnandam ejus nequitiam, quâ nil graviùs, nec lethali ſententiâ digniùs judicari poterit. Quam inſolentèr enim ſe Proditorem geſsit? Quamdiu in *Rumpante* eo *Conciliabulo* dominionem retinuit; & diu nimis tenuit; defuncta Conjugi ſtatuam magnificam ſtruxit, & ſplendidis decorando titulis ſe ſuámque nobili familiâ editos inanitèr commonſtravit: at nunc in pulverem rediit Illa, Iſte in ignominiam.

Circumſpice *Dunnæe*; Ecce *Penitus* Civis val-

valdè incivilis! Miſerrimus *Euclio*, ſeneſcens vitiis, ingraveſcens convitiis. Purpuratus ordine, omni commaculatus crimine. In nullo vigilantior, quàm in Proditoriis technis, nec quis deriſione dignior in Exitu Operis. Nemo in aggreſſu alacrior, nec progreſſu infælicior. In Civitate optimâ Civis peſsimus. Quem *pœnitet* feciſſe penè eſt innocens; quem verò peccaſſe non puduit nec deliquiſſe *pœnituit*, merito periiſſe quis unquam non cenſuit? At nunc appropinquat hora, in quâ demerita cenſenda eſt pœna. Funera transferantur funi, & conſignentur nullî alia teſte, quam reſte.

Dun. Optimè, optimè; ad capillum contexam ei reſtem, jugulo catenam multò aptierem eâ aureolâ quàm immerito geſtat. —Sed Quinam Illi?

Bull. Iſti qui in extremâ ſerie, *Limacis* more, prorepunt, ſunt tepidi Proditores. *Niobis* effigiem in fronte portant. Dolent de ſcelere, erubeſcunt immò, quod magna pars eſt Pœnitentiæ. A primo aſpectu qui eos vident, reos ſe criminis eſſe cenſeant. Sin nominatim audires, *Muratus*, & *Sylviſluus* ſunt vocati: Et in ultimâ claſſe diſpoſiti. Sic omnia rerum numero ſunt ordinata. Sufficiat nobis hos Patriæ Perduelles, & Principis Proditores percurriſſe. Præterierunt nunc omnes: & al ud

mihi

mihi agendum eſt. Præco publicus deſignatus ſum. Vale igitur *Dunnæe*; quid de hiſce fiet, opportunè audies.

Dun. Quò citiùs, eò opportunìùs. Proferatur Reus, & Parabitur Laqueus.

ACTUS SECUNDUS.

SCÆNA PRIMA.

Intrant Pontanus, Palmarius, Chryſologus, Albiturnerus,

Flavius — *magna Comitante Catervâ.*

Clericus Silentium adhibeatur Curiæ. Janitor intende officio, proferantur Captivi.

Ad Pergulam deducatur HÆRESIUS.

Leva manum HÆRESIE.

Hæreſ. Indulgite Conſules. Quò tendit iſta manus levatio? Obſequium mandato veſtro præbere nequeo. Conſuetudo eſt quem antiquitas nullâ ratione ſuffulta introduxit. Au-

Authoritati verò consuetudo cedat. Pravum usum Lex, & ratio vincat. Veniam dato, si hisce Phantasiis minùs acquievero; Scrupulum Conscientiæ adfert. Et optimè novit Gravitas vestra, Quicquid agitur contra Conscientiam ædificari ad Gehennam.

Curia. Istæ te parùm moveant nugæ. Multò magis seria à te pensanda sunt; Non datur nugandi locus. Manum ni levaveris, Curiæ immorigerum te gesseris; Et à tali pertinaciâ quid expectandum est, quin ut judiceris in *Mutum?* Et per Consequens lethi tui conscium.

Hær. Prægravis esset ista Censura.—Sed necesse est parere, ubi Authoritas novit imperare. Culpam admittere si cogamur, in foro Conscientiæ coacti remittimur. Agite. Vestrum est mandare; nostrum flectere; Manum levabo; licèt à mente dissentiat manus.

Cler. Indictatus es nomine *Hæresii*, quod tu perfidè, perditè, & nefariè cogitasti, conspirasti, & machinasti contra Pacem Regni, timorem Dei ante oculos non habens, Mortem Domini Regis, beatissimæ Memoriæ. Eloquere, Reus es, vel non?

Hæres. Me reum nequaquam fatebor; Quamplurima verò nobis se afferunt priùs quàm responsum integrè reddam. Lis mea

sub

ſub Judice eſt: & ſalus ab ea pendit mea.

Curia. Quo moras inaniter texis? Reſpon-de, Reus es, vel non?

Hæreſ. Vita hominis nullo beneficio pen-ſanda eſt. Novi varios cuneos mihi præ cæte-ris poſitos, & paratos eſſe, qui de facili à me non ſunt evadendi, ni in defenſionem mei præ-beatur anſa; gratior licentia quàm adhuc con-ceſſa eſt.

Curia. Obſerva morem *Curiæ.* Pretioſæ horæ circa haſce ambages non ſunt terendæ. Major tibi conceſſa fuit licentia, quàm tali fa-cinori, tam horrido, tam exoſo adhibenda foret. Reſponde tandem, Reus es, vel non?

Chryſologus. In Nomine Principis cujus ſervitio delegatus ſum, poſtulamus judicium *Curiæ.* Hoc modo vobiſcum ſi ſeipſum nu-ganter gerat, Judicetur in *Mutum.*

Hæreſ. Mutum loquentem quis unquam au-divit? Sed nè ſuccenſos vos habeam, reſpon-ſum in promptu confidentèr referam, Non ſum reus.

Clericus. A Quibus te probandum reddes?

Hæreſ. Quibus! Cœlo, Salo, Solo, et Omnibus.

Curia. Haud tali modo reſpondendum eſt.

Hæreſ. Si non his, quò appellem?

Curia. Nimis te levem, lubricum immò geris

geris in discrimine vitæ. Probandus es per *Deum*, & *Patriam*, secundùm assuetum morem Terræ, cujus sub Imperio omnes vivimus.

Hæres. Ita fiat. Eo more me probandum annuo.

Cler. Bonam tibi liberationem concedat Deus.

Hæres. Si accusasse sufficeret, quis innocens esse poterit? Quicquid circa occisum Regem feci, consultum habui, vel machinatus sui, non de proprio sed Comitiali consilio, cujus sub arbitrio, arctiore vinculo me detentum fore putavi, quam sub ullo alio dominionis jugo, me præstitisse Superos attestor.

Chrysologus. Nec Superos, nec Aras te meminisse credo, quando tali consilio, nulli nisi Dæmoni grato, acquievisti. Maximam super te influentiam habuisse invisum illud Conciliabulum, Harpiiarum nido simillimum, audivimus. De quo, & fatali cujus exitu opportunè te monuit *Pater tuus*. Sed aurem monitis tardiùs applicuisti — Non in memoriam revocas, quomodo Patrem persuasum haberes ad relinquendam *Lanienam*, in quo officio, eo tempore versatus erat, & properantiùs ad petendum urbem, & *Synodum* (*Synagogum* dicerem) mirandum in quâ supremum fermè locum obtinuisses? Quàm cautè verò, & consultè ad

te

te reſcripſit Pater ille Lanienus tuus! "Offi-
"cium meum in quo educatus ſui non demu-
"tam. Officinam Lanii præfero nequiſsimi
"Proditoris titulo. Ego vitulo, tu vitæ cul-
"trum paras. Tutiùs eſt mihi vitulum occi-
"dere quàm tibi in victimam tyrannidis vitam
"exponere. Ego inter Belluas, tu inter ho-
"mines Belluis ferociores aſsiduè verſaris. Ne
"appropinques antrum Leonis, ni pereas. Ta-
"les Feras in NOVO CASTRO noſtro non
"invenies.

Cordati Patris iſta fuerunt monita, ſed ambitioni tuæ altiora longè, & periculoſiora ſequenti, valdè adverſantia. Sic capiendo caperis, alióſque illudendo illuſus manes. Tales te immeriti honoris quæſtus intimè cruciet.

Scena Secunda.

Curia. Secedat *Hæreſius*; Juratorum verdictæ transferatur. Probi & Legales ſunt homines, & Evidentiis eò exhibitis optimè muniti; qui de hac Proditione (quantum ad *Hæreſium* ſpectat) rationem integrè reddituri ſunt.

Hæreſ. Interim non deſignandi ſunt mihi Conſiliarii, quorum ope fretus, in defenſionem Cau-

Cauſæ adjutores habeam; ne accuſatorum mole depreſſus, vel argutiâ veſtrâ funditùs evictus deficerem?

Curia. Ne te decipias: In caſu Proditionis nulli Concilarii ſunt admittendi. Operam qui dedit perdendi Principem omni tali privandus eſt ſubſidio. Suo utatur conſilio, ulteriore non utendum eſt adminiculo. Accepiſti conſilium liberè optimum perimendi Principem. Juſtè igitur tibi cæteríſque tanti facinoris ſociis adjumentum conſilii denegatur. Sufficiat tibi, cujus manus in ſanguine Regis tam gravi, inexpiabili more ſunt tinctæ, in defenſionem tui proprio ore in attentionem Judicum admitti. Tantæ gratiæ nec non immeritæ clementiæ nè Parricidæ apud Romanos fuere Participes: Qualiter tunc æſtimandum eſt de Regicidis, qui lumen Orbi, lucem Soli, Salutem Patriæ violentâ abripuerunt manu? Iſta recole, & erubeſce.

Hoc à te Credendum eſt *Hæreſie*; quòd optimi illi Conſiliarii ſunt qui ad pœnitentiæ cultum te movent, eoque more promovent, ut te ſanent ſenſum criminis altiùs imprimendo, quod nec minuere, nec mitigare poteris celando.

Hær. Per tres ferè menſes in Carcere detentus remanſi, à nemine viſus, à radiis ſolis penitùs

ſecluſus, alienus amicis, nullo conſilio adjutus; & in hac conditione me ſitum, derelictū immò, num æquum fore putatis ad *legalem* reſponſionem vocari; præcipuè cum heſternâ noctu hùc devectus fui, ignorans prorſus quid de me fieret, aut de quo inculparer? Num Captivum nudum & in defenſionem ſui maximè imparatum, veſtrum ſit aggredi?

Pontanus. Si evidentia reum te reddant, juſtitiam Curiæ incuſare nequis. Juſtè perit, qui nequitiam ſuam in teſtem publicè produxit. Nullos in Juratores inimicos habes; ſin habueris, vel ſuſpectos teneres, cautè excipias. Quo curſu quid pulchrius, quid æquius? Qui impium corripit, & condignas ei pœnas infligit, mercedem non amittet. Juſtus ſummo cenſebitur: & tali ſententiâ quis gratius?

Hæreſ. Non noſtrûm eſt arguere, multò minùs reluctari ubi tanta dominatur Poteſtas: fiat Juſtitia.

Curia. Et emeritas pœnas ſubeat nequitia.

Hæreſ. Pœnas ſubire parùm metuit, qui reum ſe anxiè novit.

Sancito Conſiſtorio obtemperare ſi nefas. Conſcium me criminis fateor. Penès Senatum fuit præcipere, nobis parere.

Pontan. Injuſta qui jubent nullo parendi mo-

do. Num Principibus mortis ſententiam denunciare; communi incendio totum imperium deſtinare; in exilium optimos Cives; in fatale excidium, utì in unam pulveris ſtruem, omnia redigere; oculis veſtris æquum fuerit? At iſta tacere juvat. Legales ſunt homines à quibus probandus es; ſub quorum ſententiâ, ſecundùm Legem Terræ, neceſſe eſt quod ſurgas vel corruas. Major tibi licentia conceſſa fuit, quàm tali, & tam egregio facinori, cui nullum proſus æquiparandum conſtat, ritè admiratur.

Hæreſ. Nos Curiæ veſtræ judiciis ſubditos eſſe non arbitramur. Quod Parliamentum publico conſenſu ſtatuit, à privatâ Curiâ nullimodò coercendum eſt. Sub eadem poteſtate cenſuram ferrent Delinquentes (ſi tali inuri ſtigmate mereantur) quâ priùs fuerint deſignati. Ped bus Capiti dominari præpoſterum eſſet.

Curia. Iſta te parùm moveant; limites, & cancellos Juſtitiæ, vel Authoritatis æquæ pertranſire cavebimus. *Præmunire* non incidemus, in veſtra cenſendo crimina. Si æquè conſulti fuiſſetis perpetrandi malum, ut nos judicium reddendi, & limitem ejus ſervandi futuri ſumus, in ſpectacula populi non fuiſſetis producti. In rixis, & nugis tempus contriviſti ſatis.

—Evocetur alius.

Scæna Tertia

Clericus. DEducatur CHARESTES Pergulam.

Curia. Audîsti de quibus indictatus es nempe de nefariâ, & sceleratissimâ Proditio eâ, carbone atro semper notandâ, contra Pers nam Sereniſsimi Principis, cujus neci, & in florentis regni ruinæ moliendo, teipsum egre conscium feciſti. Quid in defensionem proferatur, quo emeritam mortis sententia evasurum te speres?

Charef. Superioris loci vires si debilites, cilè me reum facias. Supremæ Authoritatis ma dato, cui obsistere piaculum censui, me feci asſero quod feci.

Curia. Quænam, obsecro, fuit illa auct ritas Suprema?

Char. Parl'amenti facies.

Chryſolog. Acies potiùs; Tota enim Suprema Curia, cui talem dominionem at buis, constans fuit *Militia*, in armis assiduè v sata.

Hinc splendidiſsimum Sanctum graviſsim Delinquentem feciſtis. Talis fuit nequiſs Cœtus vestri Regula.

——*Hæc Acies victum factura nocentem eſt.*

Char. Hiſce elegantulis loquendi floſculis audientium captare animos facillimum eſſet: Terror verò mortis licèt pleríſque graviorem aſpectum imprimat, me ab hac opinione perrægrè permovere poterit.

Curia. Integra certè eſt, ſi tu teneas.

——Quæ ſcilicet?

Char. Ut me aperiam; non enim datur diſsimulandi locus. Hujus opinionis ſenſum teneo, quem dum ſenſus retineo, tenere ſtatuo; "Quod *Parl'amentum*, cujus auctoritati con-"ſtantèr inſervivimus, inferioribus Comitiis "veſtris, nullo jure ſubjici poſſe. De totâ gente "conſtabat; de quâ prudentes maximè, & cor-"dati, publicis eis officiis fuerunt electi, & de-"ſignati.

Chryſolog. Cordatam veſtram ſapientiam ſat experti ſumus. Per omnes urbes, vicos, & Oppida lachrymabiles inveniemus teſtes, deplorabiles reliquias politici veſtri regiminis. —Sed narra, precor, de quâ grege *Conventiculum* illud conſtitit? Parl'amentum dicere horreo; Domuſculam potius dicerem, vel turpium avium Caulam omni nequitiæ venalem. Cribrarum officium optimè præſtitiſtis in puriora grana dimittendo, in paleas verò & ſiliquas retinendo. In eo Senatu dominionem tenuere

fæces. Si probi, vel paci dediti, foris sunt eijciendi. Inter *Secluſa Membra* sunt recenſendi. Grex parva, ſed peſtifera: in numero indigna, in vitiis numeroſa. Quæ vos igitur Dementia cepit, ut *inſanientis Parl'amenti* Obliquæ Regulæ obſequium tale præberetis!

Char. Si *inſanum* fuiſſet, non tam diù conſtitiſſet. — Sed proſtrato Leoni facile eſt Leporibus inſultare.

Curia, Nè audienda eſt talis impudentia. Quantoperè inflatus eſt iſte perfidus! Gloriatur in nequitiis.

Chryſolog. Tali Peſte Univerſum laborat. "Peccator lætatur in deſideriis, & cum male "fecerit, benedicitur. Si farraginis hujus aliqui præſentes eſſent, quam mollitèr audaciæ illius afflarent, quam audacitèr inſolentiam ejus approbarent?

——— *Facile eſt reperire Superbum*
Finibus in Cunctis ———
Nunquam paventes geſtu ſimilare Pavones.

Iſta pertinacia ab omni pœnitentiæ affectu longiſsimè remota eſt, Perfidiam adhuc in Sinu fovet. Fælicitati Florentis imperii ſtatum Utopicum de proprio Cerebro fabricatum præfert. Ore ſuo reum ſe agnoſcit. Incendiari iſti flammas citiùs ſuſcitare vellent quàm reſtinguere. Sententiæ eorum relinquatur pen-

quos

quos vitæ ſive mortis conſtat judicium. —Hoc unicè adijciam, CHARESTES, quod perutile tibi fuerit ſi memineris, & ſalutarem in menti remorſum impreſſerit, ſi retinueris: Recole, & erubeſce ingratitudinem tuam erga Principem tam Clementem, & de te tantoperè merentem. Gratiam ſuam munificè tibi tuíſque exhibuit; Fratrem tuum, ut unum ab intimis habuit; cujus in Exemplum ſi fidelitatem tuam compoſuiſſes, nunquam tali horridæ, & ſceleratæ Conjurationi acquieviſſes. Iſta, inquam, ſeriò recole, & defle.

Scæna Quarta.

Cler. EVocetur CLEMENTIUS ad Pergulam.

Quid à te obijciendum eſt CLEMENTIE contra Indictamentum in quo Regiæ Majeſtatis læſæ incuſatus es?

Clem. Petitionem hanc meam Reverendiſſimæ huic Juſtitiæ ſedi humilitèr offero.

Pontan. Crimen ſi confitearis, legetur Petitio.

Clem. Ingenuè, intimè, integrè confiteor.

Pontan. A Confeſsione facti, *Clementie*, animadvertendum eſt tibi; quamprim ut vocaberis,

caberis, & Juratoribus reddetur Juſsio de qui
conſulant; quod reſponſum facias, te pe
Confeſsionem iturum, à priore Placito diſce-
dendo ad Confeſsionem Facti.

Clericus. Læſæ Majeſtatis indictatus es *Cle-
mentie*, in cogitando, conſulendo, & machinan-
do mortem Regis; Placeb. tne illud divertere
Placitum, & confiteri?

Clem. Confiteor me, Domine, reum eſſe.

Cur. Seponatur *Clementius.*

O quàm lætanter aura ſecunda ſpirat
Menti depreſſæ ſe confitendo reum!
Pœnam ſi Legis evitare nequit,
Diſpellit nubem cordis à ſede gravem.
Depoſito *onere ſic viatores agunt,*
Molli dum gramine mole levati jacent.
Hoc rei faciunt, legem non pœnam timent
Legem qui Dei pœnis terrenis præferunt,

Scæna Quinta.

Cler. EDucator CALIDONIUS.

Pontan. Reducatur ad *Calidoniam*,
Compatrualem ſe noſtrum apertè negavit.
Quo privilegio fruens (parum licèt promerens)
ſtatutum eſt *Calidonium* Synodum ſe appel-
lere,

lere, & illius voce, & voto adjudicari.

Chryſ. Se à ſuis maximè exoſum eſſe credo. Quis enim integrè affectus, *Montis* illam *Roſam*, vel *Pulcherrimam Roſam Montis* ſeriò recolat, & *Calidonii* hujus inhumanitatem non exhoreſcet? Heroem ætatis noſtræ nobiliſsimum, & ab omnibus optimè merentem de medio abſtulit. Vitam verò citiùs quàm famam abripere potuit. Nulli enim Marmori cedet illius memoria. Tantoperè diſtat fidelis ſubditi Exitus, a Furiere perfidi ſplendidè licèt egredientis. Finis non Funis fauſtum vel miſerum reddit. In ſune verò te finientem vitam, maximè infælicem qui omnibus odioſum agnoſces.

Calid. Firmioribus me fulcris innixum ſpero. Nulli me peroſum habent præter eos qui probitatem meam imvident.

Chryſ. Utinam tantillum ſeminis veræ probitatis haberes, ut nomen invidiæ mereatur acquirere. Sacras verò ædes opibus ſpoliare, optimos homines vitâ privare, & pacificam Gentem civili Conflagratione diſsipare, non invidiam eſt parere ſed odium. Sin aliquem in te talem virtutum præſtantiam conſpirare videamus, ut illius admiratione dignum te judicet, inſanientem penitùs, vel delirantem rectè judicemus.

Calid. Non tam levitèr de me judicabunt omnes.

Chryſ. Facilè credo. *Hybrides* quoſdam in Provinciâ tuâ tenes, qui de efferâ ac inhumanâ Naturâ participant veſtrâ; Hi fortaſſe te amant, & ut Ranæ in Fabulâ colunt, qui ſimilem te illis moribus ſentiunt. Similitudo Morum amicitiam contrahit. —Sed te tui oportet nos relinquere. Navigio accingendum eſt tuo. *Calidonia* te expectat; Cujus judicio Cauſa, deplorata ſatis, transferenda eſt. —Molliore more tecum agant venti, quàm tu erga Principem hactenus geſsiſti.

Scæna Sexta.

Cleri. EDucatur MAGIRIS. —Quid in defenſionem tui allegetur circa Indictamentum contra te prolatum?

Mag. Atramentum, Calamum, & Chartam accomodanda mihi obſecro.

Pont. Reddantur. In nullo tibi defuturi ſumus, (modò Curiæ moleſtiam non adferas) in quo, tanto diſcrimine ſalutis tuæ impendente, modeſt efflagitare poteris.

Chryſ. Teipſum ſi adamuſsim diſcutias, iſta

ista quæ postulas parùm commodi tibi allatura ingenuè fateberis.

Mag. Quid feci, quod tanta præ cæteris mihi imponeretur moles?

Chrys. Quid non feciſti, ſi Cauſam æquè penſaveris? In hac Tragœdiâ, te Sedulum, ac ſtrenuum maximè Actorem audivimus.

Mag. Unde hoc? In omni Tragœdiâ quatuor exercendæ ſunt perſonæ ad Onus Dramatis ſubeundum, & ſuſtinendum. 1. Accuſatores vel Teſtes. 2. Juratores. 3. Judices. 4. Carnifices; at nullo ſub eorum calculo me redigendum teneas.

Conſil. Sic te opinio fallit; vel levis quædam aſſentatio illuſum reliquit. In hiſce omnibus conſcium te feciſti. Innocentem Principem *Accuſaſti*; *Teſtimonium* injuſtè perhibuiſti. *Jus* tuum in violando fidem peràm fregiſti. Judicibus iniquè aſtitiſti. Et pro viribus tuis, inſtar *Carnificis*, nocentes manus innocentiæ Principis nefariè impoſuiſti.

Mag. Sphæram, limitem, & Elementum Profeſsionis meæ non tranſivi. Conſilium mihi dare licuit. Eo prognatus fui, & educatus. Nec ulterius proceſsi.

Conſil. Malum Conſilium Conſiliario peſſimum. An unquam audîſti Cauſidicum eò lactatum vel educatum, ut contra Regem, cujus

jus obſequio, & debito ſervitio fuit obligatus forenſem Cauſam ageret, & ad mortem uſque perſequeretur? Quis tam audaci, & friato fronte talia unquam aggreſſus eſt?

Mag. Non contra ſed erga Principem operam impendi meam.

Chryſ. Erubeſce tandem; an graviorem querelam conſcribere, parare, & ſanguinolentæ illæ Curiæ tradere, opus Ei Cui te debuiſti, tam beneficum fui? Nil alacriore mente, nec elatiore voce poteris proferre, quàm in poſtulando Judicem adverſùs Principem. Nullus ſilentio admitteretur Locus. Quantoperè fuiſti delectatus n orando, vociferando, & ſub *illius* Titulo cujus in antro diſcubuiſti, imperando; hiſce verbis ſæpiſsimè utens, *Fiat Juſtitia: ſi reſponſum non redaïderit, Judicium requiro.*

Qualia fuere iſta verba, an Conſule digna?

Mag. Unicè verba erant, ulteriùs extrahi nequeunt. Et verba, ut optimè noſti, *Hæreticum* licèt faciunt, *Proditorem* non valent.

Chryſ. Aſſertioni illæ tam levitèr fundatæ haud facilè acquieſco. Verba mala, ſi corrumpant mores, non leniùs ſunt exponenda, ſi regias penetrent aures. Purioribus pannis aſpergere maculas, indelebile magis eſt vitium quàm ſordidioribus immittere. Reges ſubtilioris, & purioris ſunt ſtaminis; Fluvii latioris tractûs,

ad

ad inferiores enim Rivulos ſeſe extendunt, quorum Canalibus theſauros diſtribuunt. Si à clariore fonte non profluant, non ſcaturiant, nauſeantes redeunt, & inſipidi. In exemplum *Regis* totum componi Orbem novimus. Inſtillare ſolent in animos hominum mores ſuos, nec gratiùs quicquam æſtimant, quàm in omni geſtu eos imitari. Quale tunc piaculum tu ſubiviſti in Principem tam candidum, & cordatum, omniúmque virtutum non imitabile, ſed incomparabile Exemplum, *Communem Hoſtem* appellando, peſsimis convitiis onerando? Hæccine Eloquentia Conſiliar um decuit, quam petulant a tua *Cauſidico* nuper attribuit? O quale dedecus attigiſti *togæ*? Quàm prodìtorìè; & malitioſè in *cruentato* eo *Foro* te geſsiſti?

Mag. Non ex *malitiâ*, ſed *avaritiâ* talis proceſsit aſsiduitas: Non in turbidis piſcari aquis quæſivimus, ut incompenſati rediremus. Non eò operam impendimus, quò aliorum viribus quotidiè niteremur. Auri fames, ulciſcendi fomes. Nil aliud me ſhimulavit quàm egeſtas. Creditores audivi Clamantes; in portas omni horâ pulſantes; vincula comminantes. Quid de me in tantas redacto anguſtias fieret? Nil mihi domi relictum fuit præter inopiam, foris æs alienum.

Palm.

Palm. Multò tibi ſatiùs fuiſſet *Captivi* quàm *Perfidi* duxiſſe vitam. Iſta Proditio tua ignominioſæ mortis pœnam tibi infligtura eſt, ſi reum te ſceleris Juratores inveniant.

Mag. Regem qui amavit, & cui Regimen non diſplicuit, ſi proditionis reus inveniretur, Juſtitiæ oculis mirandum eſſet.

Chryſ. Num te deſeruit omnis modeſtia? Nónne dixiſti (Vatem te verum nimis probando) *Regem unà cum Monarchia collapſurum eſſe?*

Mag. Iſta verba Menti fuere verbera, abſque irriguis oculis nè voculam proferre potui. Florentem Statum miſerè vergentem dolui. Cujus ruinam ſi diſcrimine vitæ redimere poterim, facilè ſuſtinerem.

Chryſ. Qui hoc à te audit, *Magiam* peræger credit. In linguâ Subditum, in vitâ Perfidum te geſsiſti. Quiſquis *Eremo* aſſueſcit, de *Pellicano* neceſſe eſt quod ſuboleat. Dixiſti te ex *avaritiâ*, non *malitiâ* ſceleratæ Conjurationi acquieviſſe. Sed æquè permixta fore non dubitandum eſt; Qui avidè conſcripſit, malicioſè complevit. Non deſævit nec deſcivit donec ad mortem proceſsit: Hoccine irriguis oculis fleviſti ſcelus? Iſta Lanii non Juridici fuere Inſignia.

Pont. In defenſionem Cauſæ tam deploratæ

nil omisisti nec tepidè tetigisti *Magiris*. Talis Argumentatio qualem à te agitatam suscepimus, multò meliorem emerita est Causam. Expertem te satis, & disertum in Legibus ostendisti. Ferrum verò in dementis manu plus nocumenti quàm emolumenti adferre solet. Apertis te oculis cecidisse probas. Nosti Regis Prærogativam; & contra scientiam, Conscientiam imò ausus es procedere, eam spernendo, conculcando, & pro viribus tuis delendo. Plurimas horas erga te patientèr, erga Causam verò nugantem contrivimus: si quid ulterius in promptu teneas, modò materialis fuerit, & attentionem Fori promereatur, non aversâ aure discutiemus. Aliorum vita æquè tenera est nobis ut nostra.

Chrys. Aerem satis verberavit; Sat supérque fastidii invalidis suis argumentis *Reverentiæ vestræ* auribus embiberet, Si tanta licentia loquendi concessa esset huic Dicatulæ quantùm voluerit; ardua foret provincia invisæ prolixitati suæ imponere silentium.

Mag. Si vita mea æquè molesta esset, ut justa vitæ defensio vobis fastidiosa, facilè tacerem. *Causidico* verùm dicere, differere, disceptare & decertare in vitæ propriæ gratiam, quid *Furi Naturæ* acceptius, quid accomodatius? Si mercede illectus linguam acuat, talem labo-

laborem ſuſtineat, multò graviora in vitæ defenſionem neceſſe eſt quod ſuſcipiat. In uno contexam omnia, ne inutilibus ut dixiſtis ambagibus, Reverentiæ Loci moleſtiam adferam.

Me coactè magis quàm ſponte feciſſe aſſeri in progreſſu hujus Judicii. Imò neque ex *avaritiâ*, nec *malitiâ*, ſed quorundum *amicitiâ* me permotum fuiſſe fateor ad hujus negotii difficultatem ſubeundum, & ſuperandum.

Chryſ. Facillimum erat ſuperare, ubi vires non admiſſæ erant reſiſtendi. De *illius* Capite certaſtis, cujus *Servitium* tenuiſtis *In Capite*: Quinam verò, obſecro, fuerunt illi tam chari, tam intimè propinqui, ut amicitiam conſervationi fidei te proponere ſuaderent?

Mag. BRADSHAUS, quem vos RAESHACAM alium tenetis, me ſemper unum ab intimis habuit. Sicut *Socii* unius *Hoſpitii*, ita in omni beneficentiæ Officio extitimus conjunctiſsimi; Multum prævaluit mecum talis amici conſilium. Nec non CALIBÆI, DORISLAI, & IRETONI; Quorum opinionem in pleriſque ſecutus ſum. Mortem tamen Principis perægrè acquievi. Diſſuaſus imò haberi vellem ab immanitate illius ſceleris. At nullis argumentis à me prolatis evinci, nec averti ſe promitterent. In has tandem redactus

fui anguſtias, ut invito animo, & perægrè ferente, viribus eorum viam dare cogerem.

Conſil. Maximum tibi occurrit infortunium, eos in amicos & ſocios elegiſſe qui in violationem fidei, quâ nihil gravius, & diſcrimen vitæ, quâ nihil gratius, tam præcipite more te traherent.

Pont. Iſta dolenda magìs quam delenda vides. Ciconia inter Grues ſi converſetur, pari mulctanda eſt pœnâ. Perduelli niti nota eſt perfidi, "Mali qui ſocius, eſt ſocio malus. Incumbe lacrymis, onus grave leve faciunt. In *foro Cæli* multùm proficiunt; in foro Curiali compaſsionem pariunt.

Cler. In Craſtinum diem, uſque ſeptimam horam prorogetur *Curia*.

ACTUS TERTIUS.

SCÆNA PRIMA.

Intrant Bullæus *Præco publicus*, & Dunnæus.

Bull. NUnc volo totum rideat *Tiburnum*.
Istáne tibi placent Comitia *Dunnæe*?

Dun. Optimè, Optimè. Ista mihi parat viam ad *Tiburnum* longè optatissimam. Unic miror quomodo *Calidonius* ille *Argasto* nostru evaderet supplicium: acsi Jugulo suo æqu cum cæteris laqueum reperire non poterim Carmenti me satis habiturum spero tortuos vultui suo, omnibusque sociis suis.

Bull. Extra dubium est, *Dunnæe*; sed cau sam si ignores, nodum tibi illicò solvam. Al enæ est gentis, Privilegium igitur natalè vend cat. In eâ terrâ jud candus est in quâ prog natus, & in quâ tanti sceleris, quo nullum gra-

vius,

vius, diutiùs manſit accuſatus. Nec minùs expectat quàm inveniri reum.

Dun. Hoc ad me parùm ſpectat. Inter *Calidonium* & *Anglo-britannum* nullam differentiam teneo. Manus in utrúmque paratas habeo. Si Lex noxam, noſtrum eſt officium invenire nedum. Splendidas eas veſtes, quibus tanquam *Primipilus* magìs quàm *Captivus* prodit indutus, magnoperè concupivi. In *Longa Angiporta* noſtra, in quâ tot militum, aulicorum, & Ruffinorum pendent Insignia, illud Calidonium Pallium tot fimbriis decoratum mirificè ſplenderet: nec ſitientes *Dunnæi* loculos minus ditaret. Sed querendi non datur locus. Publicis Judiciis neceſſe eſt nobis acquieſcere. Plures, ut ſpero, judicandi ſunt.

Bull. De hoc nè hæreas. Plures, & multo ditiores accerſiendi ſunt, & judicandi. Ditiſsimum feracturi ſunt Carnificem quem unquam *Tiburnum* habuit.

Dun. Carnificem me vocas? Quid ni Equitem?

Bull. Equitem auratam te propedièm vocaturi ſumus, mi *Dunnæe*; ſicuti in *Danaïs* gremium deſtillabunt imbres aurei in ærarium tuum. Iſte tuus Saturnius erit annus. Clavos, & Seras opportunè para, quo Latronibus

viam obſtruas ; ubi affluunt divitiæ, oculi plerúmque conſtant nequitiæ.

Dun. Iſta me nova hominem novum facient. Inopem tam ſubitò ditatum, inſanum redderent. Sed tutius eſt, & conditioni aptius, conſultò moderari ſua, quàm imprudenter de alienis gloriari. Erga Creditores interim meos Supercilioſiùs me gerere, haud in commodum mihi fuerit ; quo ſtatum meum melius mutatum advertant, & me conditionis meæ optimè cognitum comperiant. At ne huc optandum illud tempus non adveneri — mea meſsis in herba eſt, Eaque de quâ plerimi deguſtarunt, ſub Eculeo pendet. Sed miſsiorem igitur me decuit erga Creditores parere, ne Balivi, quorum vultus adhuc mi valdè formidoloſi, Officio laqueari meo diſcrimen adferant. Promiſsis aureis paſcendi ſunt, qui adhuc eſuriunt ; nec aliter explendi ſunt, donec proventus meus, quem indies ſpecto de *Fune*, & *Securi*, profluat.

Scena Secunda.

Intrant Artifices; PIMPINELLA *uxore* DUNNÆI *ſcetante, & objurgante.*

Pimp. DIi vos perdant, nequiſsimi Nebulones; Nónne ſatis vobis fuerit Officiario Regni notiſsimo Infamiam aſpergere, ſed Latrones vos gerere?

Artif. In quo Latrones, obſecro? Latrocinium judicas noſtra juſtè quærere? Vos iniquè noſtra detinuiſtis, & nos quæſivimus ea in poſſeſsionem propriam reducere quæ vos injuſtè diutiùs tenuiſtis. Inani ſpe non ampliùs ſumus illudendi. Redde æra, & reddentur vaſa.

Dun. Quid fecerunt, *Pimpinella*?

Pimp. Quid non fecerunt, mi *Dunnæ*, ſi inhoneſtum audires?

Dun. Num inhoneſtè te tractarunt?

Pimp. Iſtud me tantoperè non percitaſſet. Graviora nobis intulere diſpendia. Ut me Dii amant, *Dunnæ*, calices, patinas, catinos, folles, forcipes, omnem denique ſupellectilem violentâ manu abſtulerunt. Nihil nobis inte-

grum reliquerunt. Nudam invenies domum cum eò reverteris.

Bull. Quinam ſunt iſti *Dunnæ*?

Dun. Satores, Sutores, Piſtores, Carnifices & Caupones, quibus me Debitorem facilius erit agnoſcere quàm ſolvere. Lux ea fauſta adhuc nobis non affulſit.

Bull. Appropinquat verò dies, in quo ditorem te Creditoribus oſtendas. ——

——*Hinc major rerum naſcitur ordo.*

Dun. Interim talis à me ſuſcipiendus ordo, quo placatos habeam: & egenis lubus ablata reſtituant. —Parcite, precor, Debitori veſtro. Patientiam habete, & ſolvam omnia.

Artif. Quamdiu, *Dunnæ*, quamdiu? Ilmora nobis eſt mors altera. Quàm multas Oficinas quotidiè clauſas reperies à levitate Crdentium, & libertate Debentium? Aliorum pericula nos cautiores faciunt.

Dun. Agite, & ſi fides ſit in *Dunnæo*, crdite. Supellex reſtituatur querulæ huic Uxmeæ, & polliceor me intra unum menſem ſolturum omnia.

Bull. Ne vobis-ipſis inimici eſtis: ſi importunis clamoribus incommodum Publico ſadferatis ſervitio, nunquam ab eo ſolutionem accepturi eſtis. Fortuna illius de laqueo, cu-

jus nexum si impediatis, vobis laqueum texitis; Justitiæ injuriam facitis; & vos-ipsos gravioris Censuræ reos (quod omnium periculosissimum est) effcitis.

Pimp. Utinam mihi liceret hos scelestos ad *Tiburnum* ducere! Quam libenter *Dunnæe* præstarem Officium. [*Tacitè hoc loquitur.*

Artif. Acquiescendum est votis, *Dunnæe*, modò in mensem æra solvas; sin deficias, molestiores nos reperies, quàm adhuc fuimus.

Bull. Ne timeatis; In hoc tempore proventus ejus undique profluit. Laqueos *Dunnai* deauratos esse audietis. Ampliora, nec utiliora officia nullus unquam *Tiburninus Officiarius* susceperit. Cum pannosis Delinquentibus, quorum *vestimenta*, quàm *corda* magis sunt contrita, non agendum est. Nunc cum Proditoribus sericeis vestibus indutis, & siliciis mentibus imbutis est versandum. Nè putetis temporis dilationem aliquid incommodi vobis fore allaturum. Nunc enim res agitur; in Publicis Comitiis Actio Proditorum agitatur. Hoc modo de laqueo oriturum est vobis lucrum: de fune illis finem, vobis beneficium expectetis; sic regitur cursus; aliorum mors, viventium merces.

Artif. Contenti sumus, modò pactum præstet. Caveat nè deficiat, ni laqueo suo perperàm pereat. Valete.

Dun. Valeatis ſub unco meo, turba nequiſſima. [*Tacit.*

Iniquiorem cœtum nulla gens unquam peperit.

Narrabo tibi ingenuè, *Bullæe*, cujus originis, ſtirpis, & farraginis iſti fuerunt Nebulones, Fæces, Exuviæ, & Sordes terræ, primùm orti (ſicut Muſcæ de ſtercore) ex cloacis, & canalibus *Pickhatchiæ*, *Houndſditchiæ*, aliiſque obſcœnioribus locis. Poſt paululùm temporis latiùs ſuccreſcentes in eminentiores partes urbis acceſſerunt. Ubi occultiore more, ut Locuſtæ ſolent, ſecedentes, parco victu, & aliorum queſtu opes ſordidè colligunt, nec curant quorum manibus æra extorquent, modo ditiores fiant. Sub eorum unguibus infælicitèr cecidi, annonam, & alia neceſſaria ab eis ſuſcipiendo. Pretium magnoperè augerunt, quia parum habui in promptu quo ſalvam. Norunt verò ſi verum agnoſcerent, me multum ſolviſſe æquè ac debuiſſe. At paupertatem meam timentes, & tarditatem proventus advertentes (manus enim meæ officiali laqueo diutiùs fuerunt inſuetæ) hoc modo me tractarunt.

Bull. Inhumaniter ſatis, ſed ultionem maturè capias.

Dun Si vivam non dormiet. Virgas in urina poſui; & ſentient ſi ſenſum teneant, qua-

lem

lem mihi intulerunt injuriam. Feſtina propelerantiùs, *Pimpinella*, ad recipiendum vaſa quæ Raptores illi nobis abſtulerunt; transferatur mihi vindicta, ſi in hoc grandi lucrandi opere ſurrexero. In promptum *linum* habeo, quo *lineam* vitæ aliis contraham, mihi ditius protraham.

Bull. Norunt omnes qui te norunt, Proditoris lethum Carnificis fore lucrum. Mittantur verò iſta. Tu tuis; nobis relinquantur noſtra.

Dun. Si acceleretur Judicium, non tardabitur ſuſpendium. Nullæ mihi magìs ſunt gratæ Curiæ, eis tandem quæ relinquunt omnia in *Suſpenſione*. —Sed me mea vocant negotia. Tuum eſt intendere libro, noſtrum lino. In utroque ordine, proſperè nobis ſuccedat. Hæc Meſsis tantoperè à me expectata ſi defecerit, vel ſterilis occurrerit, tale vulnus cordi *Pimpinellæ* meæ adferet, ut Conjugis ope parùm indigeret, manum ad finem ſuum paratiſsimam haberet. Sed meliora ſpero, vel perio.

[*Secedit.*

Scæna Tertia.

Intrat Mulier Ruſticana.

HEus bone vir; noſtíne an Judices hodiè hunc locum veniunt?

Bull. Optimè novi; ſed quid tibi cum Judicibus?

Ruſt. Non multum negotii habeo. Magnoperè deſidero Judices videre, ad hunc diem vixi, & Judicem nunquam vidi.

Bull. Hah, hah, hah. An Judicis aſpectus anili ætati tuæ tam delectabilis appareat? Quo veniſti, Muliercula?

Ruſt. Per tot luſtra annorum Incolatum meum tenui in pauperculâ quadam villâ vocatâ *Gottam* à *Nottingamia* haud longiùs remotâ.

Bull. De egregiâ, Mecaſtor, villâ veſtrâ, plurima audivi. Nonne in eâ *Septem Sapientes* fuerunt nati?

Ruſt. Ita aiunt. Nunc ab eâ Mariti mandato mei huc miſſa fui ad emendum ova.

Bull. Ad emendum ova! O Commercium perbellè conſultum; & miſsione talis oppidi dignisſimum! Nonne cariora ſunt ova *Londini* quam *Gottamiæ*? *Ruſt.*

Ruſt. De hoc nihil ſcio. Increbuit verò fama in villâ noſtrâ quàm grande navigium *aureis Ovis* inſtructiſsimum huc tranſvectum fore à *Famacâ*, & tenui pretio coemenda.

Bull. Totus ſum in cachinnum verſus. — Quàm pretioſa ſunt iſta Commenta! Num talia reperiſti ova?

Ruſt. Nondum inveni, nec me reperturum ſpero. Dicunt plerique me illuſum fore: & perſuaſam me habent revertendi: ſed aliquid itinere dignum ſpectare ſtatui priuſquam revertar: quo per hyemales noctes quædam Nova auditu digna Familiæ meæ referam. A primo acceſſu meo in hanc Urbem, (quæ in opinione vulgi *Nottingamiâ noſtrâ* multò gratior eſt, & latior) conductu Hoſpitis in cujus domo remanſi, admiſsa ſui ad ſpectandum *Gigantes*, *Leones*, & *Monumenta Regum*. Quo autem iſta? Gigantes ſæpiſsimè vidi in ſpectaculis Ruralibus noſtris; Leones etiam à tergo Lanii ſuper Equum portatos, & in publico foro venales; Regalia etiam ſigna (ut inſignia Regum Monumenta) juxta portam cujúſque Diverticuli fixa. Nil in hiſce vivum comperui præter Leonem, cujus aſpectus majorem mihi attulit formidinem quam voluptatem. Judicem verò vivum videre cupio; à cujus optato aſpectu me aliquid Itinere longiore meo dignum vidiſſe fatebor.

Bull.

Bull. Num te credam nunquam ſpectaſſe Judicem?

Ruſt. Vidi certè in tumultuante tempore quamplurimos eo Nomine vocatos: & à loco *Poſteriorum* miſſos (vulgò *Rump*) utì verò Canes oblatrantes, & ſævientes ſeſe geſſerunt tales contuendi Feras mihi nec Oppido me inceſsit Cupiditas. Leoninas mores Civili habitu indutos mirabantur omnes.

Bull. Opportunè veniſti; Appropinquant Judices.

ACTUS QUARTUS.

SCÆNA PRIMA.

Intrant Pontanus, Palmarius, Chryſologus, Albiturnerus, Ventilaius, Flavius.

Diſpoſitis Judicibus, Conſil. & Primatibus in propriis Sedibus, ſe accingit Officio Clericus.

Offic. Edite, Secedite, ſilentium præbete.

Cler. Janitor, deducatur PETRONIUS SACRIFICULUS ad pergulam. Leva manum, *Petronie.*

Pe.

Pet. Quam pro peccatis Populi ſæpiſsimè levavi.

Cler. Indictatus es nomine HUGONIS PETRI, quòd timorem Dei præ oculis non habens, Proditoriè, perfidè, netariè, & malitioſè cogitaſti, conſultaſti, conſpiraſti, & machinaſti mortem Regis beatæ memoriæ; quid in defenſionem tuam proferas; Reus es aut non?

Pet. Pro mille mundis tanti ſceleris non invenirer reus.

Cler. Per quos probandum te admittes? —Si aliquem Juratorum excipere volueris, hoc à te opportuniùs agendum eſt cum ad Librum venerint, priuſquam jurati ſunt.

Pont. In Numerum 35 definitè excipias, ulteriùs ire non poteris, ni bona & legalis cauſa eò te moveat, & aſſenſus Curiæ admiſerit. Calamum, atramentum, & chartam ſi placuerit accommodata habeas.

Pet. Domine, nullum eorum excipiam. Novi candorem meum, & probitatem talem fuiſſe, ut nemo me tanti facinoris, cui acquieſcere ſemper horrui, meritò inculpatum judicet. De NOVA ANGLIA huc miſſus fui ad religionem ſanam, & ſinceram paſsim propagandum æquè ac ſtabiliendum, & in eo opere tali more me geſsi, ut fructus ubique appare-

ant

ant Officii, & Miniſterii mei haud inutiliter expenſi.

Pont. In hoc Loco non agendum eſt de bono quod feceris, ſed de malo (omniúmque peſſimo) quod perpetraveris. Bona ea de quibus tantoperè gloriaris, ſive integrè penſanda, ſive ſplendida ſint peccata, in Cæleſti foro non Civili Curiâ relinquimus judicanda: licèt multo plus Lolii quàm *tritici* in Dominico agro te ſparſiſſe vereor. Cædes tam Pii, & præclari Principis, quem admirari citiùs quàm imitari poſſumus, nequaquam requirenda fuit in Sacerdotali tuo officio. Manum Regi imponere, Inuncti ſanguinem effundere, eique vitam adimere, qui Salus fuit Populi, Salus Reipublicæ, Sidus Patriæ, Clavis Regiminis pii: hæccine Inſignia Profeſsionis tuæ? hæccine documenta Eccleſiæ tuæ? Aut quo interiùs te tangam, & ſenſibilem conditionis tuæ magìs faciam; Hocc ne ſcelus fu't Religionem, quò te miſſum dicis, propagare; fidem ſinceram ſtabilire? Ethnici horruerunt, quod ſimulata tua ſanctitas approbavit, percitavit, perſtimulavit.

Chryſ. Miſerrimus iſte Sacerdos (ni opinio me fallit) à NOVA ANGLIA ad nos venerit, quo in terrâ noſtrâ NOVAM ANGLIAM crearet. Regnum ſine Principe; Corpus ſine Capite; Eccleſiam ſine Fide; ſin pauperculam

perculam fidem, nudatam opere. Nónne enim ex Animo ſuo fuit (ut ipſe ingenuè confeſſus eſt) *Heroes*, *Levitas*, & *Furidicos* omnes in Exilium mitti, de finibus noſtris excludi, & extirpari? *Platonem* nunquam legerat, *Platonicum* tamē eſſe voluerit (Eò enim ſcientia vel idioma linguæ tuæ peregrè attigerit) Omnia Communia: nec minorem Conjugii licentiam (ni Oppidani de eo mentiantur) admitteret. Mittenda verò ſunt iſta; longè graviora cum illo ſacerrimo Proditore ſunt agenda.

Pet. Multa contra me ſunt allegata, perpauca, vel nulla adhuc ſunt probata.

Chryſ. Probanda tamen ſunt, & ab iis, quorum teſtimonia declinare ardua eſſet provincia.

Pet. Talis erit provincia, ut ſi minus præſtitero, periculum vitæ me ſubiturum ſentio. Levi verò ſpongiâ abluenda ſunt iſta. Nil habeo in me, quod teſtetur contra me. Regem ſemper colui; Prærogativæ ſuæ firmiter adhæſi; omnem honorem (ut ſubdito compar fuit) Dignitati ejus Regali ſimiliter attribui; à Titulo ſuo in nullo derogavi.

Albiturn. Quàm impudens eſt iſta aſſertio! Recole, & erubeſce, quàm pulchris nominibus, & titulis eum dignatus es inſignire. Aſsimilaſti eum *Barabbæ*. *Tyrannum*, *Proditorem*, *Homicidam* vocaſti. Omni Regimini incommodum,

modum, quia *Fatuum*. Nonne iſta fatui, & debacchantis fuerunt effata?

Conſil. Nec de *unius Principatu* meliorem tenuiſti opinionem. Dixiſti enim rem onerosam, turbidam, & infructuoſam; Patriæ gravem, ſubditis moleſtam, omnibus bonis graviter inviſam.

Chryſ. Petulantiùs te etiam geſsiſti in vocando Principem eum quem te tantoperè coluiſſe dicis, *Idolum*; nec minus à te ſperandum fuit, quìm quòd illud magnificum Specimen cum omnibus Ei nitentibus citò corrueret.

Conſil. Nec ita deſæviit malicia tua: Eo enim tempore (chalibæo calamo in ſempiternum memorando) cum *Princeps ille*, quo nullus unquam innocentior, nec ſuis (ſi Bonis) gratior, coram *Alta*, & *cruenta* ea *Juſtitiæ Curia* accitus judicandus eſſet; nullam aliam ebore vocem noſti, quam *Juſtitiam*, *Juſtitiam*; *Legis Executionem*. Tam parùm ſpectaſti Optimi Principis vitam, Reipublicæ ruinam, Confuſionem omnium. Sic te de *Præcone Pacis*, *Tubicinem Litis* feciſti. Singuli motus, metus, turbines, & procellæ ab Æolio ore tuo in exitium, & commune incendium florentis hujus Inſulæ ſpirarunt. *Tantum Religio potuit ſuadere Malorum.*

Pet. Sub prætextu Religionis nil mali machi-

chinatus fui. In Pulpitis, Conſiliis publicis, vel privatis, quis unquam me audivit talia prædicaſſe, edidiſſe, conſuluiſſe, ſeu ſuggeſsiſſe?

Chryſ. Pulpita ſi appelles, valdè erubeſcunt de ſcurriloquiis tuis: non ſolùm de levitate, ſed teterrimâ Proditione ſuboluerunt. Scripturæ Textus cordis tui malitiæ accomodatiſsimos ex propoſito ſeligeres; ſelectos non nefariè minùs applicares. *In ligando Reges in catenis, & Primates in compedibus*, operam impendiſti, doctrinam compleviſti. Quem *legibus* noſti *ſolutum*, tyrannidis Legi ſubditum feciſti. Imo Principis ſalutem rem tam noxiam tenuiſti, & inviſam, ut in *Menſalibus Gratiis* (O nefandum!) ſalutem illius memorari dedignareris.

Pet. Iſta proferuntur, ſed nulla probantur.

Chryſ. Probanda tamen, eaque ſoliditate, ut abſque fricato fronte perægrè de neganda. Nide *Lethi* etiam *Petronie*, nimium biberis, immemorem te non patieris confidentiæ illius quam in Exercitu veſtro habuiſti repoſitam, dicendo; nec elato minùs vultu quàm voce hoc aſſeruiſti: "Si exercitum noſtrum uſque "ad ſeptem annos integrum ſervemus, de "Rege, & Poſteris ejus minimè ſolliciti "ſimus.

Pet. Si iſta tam gravia, vera eſſent quorum

me criminaris, mille *Levitas* leviore ſententiâ quam Capitis pœnâ non cenſerent. Sed incuſaſſe, ut ſpero, non ſufficiat. Murum aheneum in me habeo, qui in defenſionem meſeſe opponet contra omnia invidiæ jacula quæ erga famam vel vitam meam ſunt collimanda. Unum in me teneo inſtar omnium contra omnes mihi adverſantes.

Conſil. Expedit reum fortem eſſe, cui tantoperè imiteris. Nonne tu ille ipſe eras, qui in eo memoratiſsimo die (atroque carbone notando) in quo Princeps noſter iniquiſsimum ſubivit Judicium, uti raptus inſolito quodam affectu, publicè clamaſti, *O Glorioſa dies!* Hoccine fuit Inſigne *Levitæ* gloriæ? In ruinis nimis patriæ gloriari!

Pet. Quod nunquam cogitavi.

Albitur. Facile credo. Principis mortem Patriæ incommodum adferre nunquam tenuiſti. Aliter compatientem te magìs geſsiſſes, quàm in tot nocturnas Conſultationes (Elucubrationes certè omnium periculoſiſsimas) ſubeundo, ſuſtinendo, complenda.

Pet. Nequaquam memini me nocturnis Conſultationibus unquam interfuiſſe: In quinimirum Regione iſta fuerunt tranſacto?

Albiturn. Hunc *Orbem* in *Urbe*, *Regionem* in Rimulâ ſecluſam reperies. Meminiſtine

Col-

Colemani ſtratiam, *Windſaram*, *Waram*, *Pictam Cameram*, nequiſsimi illius Proditoris *Braaſhai* Domum? Iſta omnia, ut ſeditioſi Conſilii veſtri ſedes, Charactere tuo ſunt ſignata. Quam gratæ fuerunt vigiliæ veſtræ, quò vigilantiſsimi Principis vitæ imponatur finis; Proditioni tam nefandæ auſpicatior præbeatur Exitus?

Conſil. Iſtáne *Novæ Angliæ* doctrina, vel cujuſvis Regionis quo Perexiſti?

Chryſ. Neque hoc rancori hujus *Sacrificuli* ſuffecerit: eo enim funeſto & lachrymoſo die, in quo Princeps ultimam vitæ ſcænam ageret, Iſte pernicioſus Prædicator, Officioſus Proditor, viſus fuit *longo* armatus *Gladio*, huc, & illuc agilitèr diſcurrens inter *Larvatos* eos *Regicidas*, qui in Actores fatalis iſtius Cladis erant deſignati.

Pet. Nunquam me memini per totam vitam longum geſsiſſe gladium. Licet *Petrus* ſim nomine, non opus mihi fuit mucrone. Nullus erat *Malchas* cujus auriculum abſcinderem. Nec me ulli, nec aliquem mihi hoſtili animo affectum ſuſpicabar.

Palm. Non eſt jocandi locus, *Petronie*; Ludere cum Sanctis periculoſiſsimum eſt. *Quam-

* *Naufragium famæ in mundo pati grave; Spe futurâ privari miſerrimum.*

plurima digerenti gravia contra te allegantur; nec teſtimoniis minùs firmis integrè probantur. Parùm in defenſionem tui adhuc protuliſti, quo Judici, vel Juratori æquè ſatisfacias. Nugas mitte, ſeriis intende. Tua tam deplorata nobis emicuit Cauſa, ut nil niſi vota ſuperſint.

Chryſ. Nonne exceſsit etiam de memoria tuâ quot ſceleſtis acclamationibus infeſtam eam *Regicidii* diem propalaſti?

Pet. Multorum, eorumque graviorum Criminum me reum fecerunt Teſtes quàm unquam admiſi; imò quorum mentionem intimè horreo. Dixerunt enim (ſed verè finxerunt) me gladio inſtructum Larvatis iis Proditoribus aſſociari, eodem die, & theatro in quo Rei Capitis pœnam luit: Hoc à teſtimonio in me gratiam æquiſsimè prolato vivâ voce & aperta ratione refellendum, ſub dubio (ut ſpero) non amplius veniet. Probatum enim habui, me per totum eum diem ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus in Cubiculo languidum remanſiſſe & ſuper ſtratum decubuiſſe. Nemo autem me *Ignem fatuum* huc, & illuc devagantem unquam tenuit; vel in corpore meo talem habuiſſe ſubtilitatem, ut nunc in *Pauli* Cœmeterio, & eodem inſtante in *Protectoris* Curiâ apparerem.

Pet.

Font. Parùm refert ad expiationem Criminis, sive præsentem seu absentem in Theatro Tragico illo te exhibuisti. Imminuere videatur, adimere nequit. In omni Circumstantia *Facti*, & *Super-acti* reum te audivimus. Neque omninò testimonio illi à te perhibito fidelitèr nitendum est. Sed ulterius ista non sunt differenda. Attentionem tibi levitèr nuganti patientèr dedimus: Te dimisso ad alios procedendum est.

Cler. Semoveatur *Petronius*.

[*Evocetur* PORCIO.

Scæna Secunda.

Cler. LEva manum PORCIO.

Chrys. Iste etiam Captivus sub Calculo Proditorum meritò numerandus est.

Por. Sub inferiore Calculo me numerandum spero.

Consil. In altiorem Proditionis gradum conscendere quis potuit, quàm assensu, manu, & sigillo, Regis cædem comprobare?

Por. Manum forsitan adhibui, cum sigillo nunquam signavi.

Consil. Sigillum quàm calamum difficilius est attestari. Nos verò in utrumque Parati. Calamum scribentis, sigillum signantis, & mor-

tem Principis vivâ voce acclamantis, per varios, eoſque conſpicuos teſtes radio ſolis clariores manifeſtè probavimus.

Por. Non omnes illi tam nervoſi fuerunt Teſtes, ut vos aſſeritis; aliqui enim eorum contra me teſtantium valdè hæſerunt vel hæſitarunt in teſtimoniis.

Conſil. Ne quenquam meminimus multo perè hærentem.

Por. Magnoperè certè; Nonne CARUS memoriâ multùm caruit, quando ſine chartis & characteribus de ſubligaculo productis a de me, nec contra me in lucem proferre potuit. Evidentia talis (ni fallar) nec Delinquenti, Juratori, nec Curiæ integrè ſatisfaciat.

Albiturn. In multis deficimus omnes.

Qui memor, ingenii dèficit arte ſui.

Por. In eis verò quæ de periculo vitæ ſuæ agenda, mallem memorem quàm ingenioſum teſtem admittere. Iſte ingenio, pollens & Rhetoricis floſculis præſtans, accuratiùs licèt more elegantiam, cultum, & ornatum in oratione exprimat, & tinnientibus auribus attentionem ingerat, ad inquirendum vel comprobandum criminis qualitatem, aut Capitis innocentiam parum ſpectant iſtæ offuciæ. Non de linguâ loquentis, ſed de conſcientiâ rectè judicantis vitæ noſtræ ſpectanda eſt incolumitas.

Ab illis qui memoriam in manticis repositam habent, Libera me Domine.

Albiturn. Ille tamen quem tantoperè premis, & debilis memoriæ incusas, post paulum temporis se recolligens, subtractis è medio chartulis, quarum usu memoriam priùs adjuvasset, de te, & progressione tuâ in hoc scelere omnium nequissimo, rationem accuratissimè reddidit: ac si læsam memoriam occultiore quodam afflatu recuperasset.

Por. Tales certè testes ex calculo Juratorum meruere explodi. De quampluribus audivi, qui *legendo* servarunt vitam, sed *legendo* nobis adimere vitam, mirandum magìs quàm approbandum machinor. Lex *Anglicana* ad hunc usque diem, ut opinor, talem Juratori *lectionem* ratissimè legerit.

Chrys. Toto Cœlo erras: Talia memoriæ adminicula justè sunt admittenda. Testi integro, & inculpatæ famæ adhibenda est fides. Alterius vitam ut propriam spectat: Nec quicquam testando in lucem proferet, de quo refelli poterit. Sin ista minùs placeant, alia de te producta sunt testimonia, quæ nullis viribus repellenda sunt, nec impugnanda. Non adhuc tibi sufficerit in sinu tuo proditionem fovere, sed pertinacitèr in eâ persistere. Quàm tepida enim, & languida fuere vota tua circa

Regis noſtri adventum & optatiſsimum illum reditum in paternam ſedem, & ſolium (tyrannidis manu tam diu detentum, direptum imò à teſtimonio *Maioris Electi* copioſè ſatis accepimus. Eo enim tempore totæ Inſulæ gratiſsimo, in quo Sereniſsimus Rex noſter regnum ſuum rediit, quamprimùm ut abſ candidè, & cordatè in his verbis ſciſsitatus eſt Num illa inopinata ſed maximè optata mutatio incredibili gaudio ſubditorum omnium animos affecerat? Cui reſponſum in promptu habuiſti frigidè dicendo: "Haud omnium una "eſt ſententia; varii variè de ea cogitarunt. "Quid verùm (inquit FLAVIUS) tuipſe "hoc ſentis? Non adhuc (reſpondiſti tu); "Confeſſorem meum te feci.

Quam anxia fuit iſta fidelis ſubditi expreſsio?

Por. Teſtem minùs quàm honore afficere nequeo: ſub reverentiâ tamen tali Perſonæ adhibitâ, liceat me aſſerere Eum non apprimè memin ſſe verba (ut ipſe ingenuè fatebatur) quæ illo tempore à me prolata eſſent.

Flav. In nullo me teſtem perhibui, quod ab ore tuo non proceſsit. Salutis magis ſtudioſus fui, quàm tu tuæ.

Por. Altius, & multò devinctius emicum hoc beneficium quod profiteris quàm adhuc ſenſi

ſenſi. In tutiore enim ſtatu me conſtitutum fore crederem, ſi tali Colloquio me nunquam applicuiſſem. Tantum mihi obtigerit infortunium, alterius cingulo caput meum ſuppotunium, alterius cingulo caput meum ſuppo-nendo; alienæ Cenſuræ innocentiam meam tradendo.

Conſil. A turbido, & malevolo corde nulla loquendi ſerenitas, (ni artificioſè palliata) ſpectanda eſt. Tam difficile ſemper fuit Proditori cor clauſum diu continere.

Pont. Audiſti, *Porcio*, nubes teſtium undique coorientes; nec ullius teſtimonii vigorem te repuliſſe poſſe. Quid ulterius à te objiciendum eſt, quo ſententia tanto ſceleri demerita minùs denuncietur? Si quid in defenſionem tuam & attentione dignum occurrat, ſeriò, & ſine ambitu te explica.

Por. Proclamationis beneficium humilitèr poſtulo. In diem præfixum redii, & meipſum reddidi. Poſtquam ultimo de tranſacti Actus exceptus fui. A Privilegio quod aliis conceſſum fuit, nequaquam me excluſum fore ſpero. Nec errorem Judicii, voluntatis errorem interpretari cenſeo.

Pont. Nobis inditum eſt officium de *Facto* judicandi, ~~non de *Gratiâ* Principis agendi~~. Hoc transferendum eſt Ei à quo regimur? & ſub quo judicialem hanc ſedem nos tenere dicimur.

Cler. Semoveatur *Porcio.*

[Evocetur *Fonius*

Scæna Tertia.

Cler. QUid dicis *Fonie*, de qua incusaris es? Reum, vel non reum te arguis?

Fon. Per aliquos dies me confiteor in Curia sedisse, sed nunquam malitiosè Regis mortem machinasse.

Consil. Circa *Formam* turbatur, *Materiam* confitetur. Parum verò conducit hoc ad Causæ sustentationem suæ. Hic enim enucleatè probandum est (quocunque sub velamine defensionis telam sibi obtexit) hunc Captivum Pergulæ astantem, in eâ Curiâ altâ Justitiæ sedem tenuisse. Confessioni enim integræ si minùs acquiescat, luce manifestiùs comonstrabimus, istum hominem (si tali insigniatur nomine) tam manu, quàm sigillo cruentam eam consignasse *Warrantam.* Nihil est quo graviùs perturbatur, quàm quod proditoriè, & malitiosè Regis mortem machinassi diceretur. Dimittat excusationem, nemo peccat invitus. Quicunque operam impendit, eóque consilium viréque extendit quo tales

Actus

Actus in finem deducat, secundùm Legem adjudicandus est, nec Eæ Criminationi facilitèr reddenda est responsio.

Jon. Fateor me per varios dies sedisse: sed intentiore mente Principis morti nunquam acquiviſſe.

Consil. In te consurgunt omniâ. Nulla luculentiora emineant Testimonia. Quicquid pertinacia tua denegat, manus, & sigillum adversus te comprobant. Si quid ulterius in promptu habueris, expeditiùs redde; alitèr requirendum est Judicium.

Albiturn. In negotiis tam altis, & arduis, non immorandum est ambagibus. Principem pium amisimus, & de te æquè ut cæteris ultionem fieri quærimus. Hanc Justitiam universus status lachrymis, votis, & vocibus importunè quæsitat.

Jon. Non occurrit quod ulterius referam vel Dominationi vestræ offeram. Quicquid in defensionem mei, vel salutis conservationem propriè spectaret pro viribus meis objeci. Nec quicquam amplius dicendum, aut differendum restat, præcipuè in hisce Certaminibus, & Palestris Forensibus; in quarum cognitionem perægrè attigimus; & in quarum agitatione graviorem Causæ injuriam quàm adminiculum inconsultè adferam. Oportuit me in

has

has redactum anguſtias in Deo confidere; Ho
norabilis hujus Curiæ Judicio, & Juratorum
Conſcientiæ humilitèr offerre.

Pont. Summat m (ſi intentioni memoriæ be
nignè faveat) quæ propoſita ſunt repetam
& claudam. Per ambitum enim diſcurrere
negotiis vitæ imprudentis vel aliorum pericu
parvi-pendentis Officium ſemper tenui.

Delatio iſta vel Indictamentum (quo commu
vocabulo Legis utar) in varios actus diſtendi
tur, & diſtentos arctiùs contrahere inſtituimus
De ſingulis partibus hujus delationis, nulla
eſt, ſi ſingulatim diſcutiantur, quæ eum cogi
tandi, conſultandi & machinandi mortem
Regis apertè reum non comprobat.

Primum nobis probatur conſultaſſe, convenis
niſſe, & propoſuiſſe morem illius mortis. Se
cundum, Iſte cum ſociis ſuis aſſumpſit potes
ſtatem judicandi Regem. Tertium, quod
actualiter ſeſsit ſuper Regem. Ultimum (quo
extremam Tragœdiæ Scænam compleant) ille
cum ſuis denunciavit Regis mortem, quem
jugulandum uno voto, vivâ, ſed efferâ voce
poſtea fecerunt. Ingenuè confeſſus eſt Cap
tivus ſe inter eos Comites mortis ſediſſe. Et
in hoc (ſi cætera mittamus, quæ æquè gravia
ſunt, & nefaria) Proditionis conſcium ſe fecit,
agnovit imò. Ex ore enim ſuo eliciendum eſt

se in omnibus præmissis reum fuisse. Nec fortius quàm de ore proprio testimonium perhiberi valet: nec ulterius perquiri necesse est. Cuique à suâ agnitione ingenuè redditâ declinare, aut quod in publico confessus est abnegare, omnium est levissimum. Qui agenti fidem non tribuit, cui credet?

Neque aliquid aliud verò judicari potest, nec sperari, quin ista confessio tua, JONIE, medullitus exhibita te mirifico more reficeret; Onus conscientiæ levando, mentem anxiam relevando, & insolito mole depressam elevando. Tales sunt vivifici fructus Contriti Spiritus.

Cler. Semoveatur *Jonius*, adducatur *Axellius*.

Scæna Quarta.

Cler. LEva manum *Axellie.*

Axel. Homo sum Legis penitus ignarus. Subministrentur mihi (obsecro) atramentum, & charta.

Pont. Reddantur: Nihil ei subtrahetur quod in defensionem sui propriè spectare videatur, modò nugantèr tempus non conterat.

Chrys.

Chryſ. Multo humaniùs ſecum agitur, quàm conditio illius Promeretur: Nil enim indigniùs erga Principem indigniſsimum perpetrari potuit, eo tandem quod ipſe omnium Sceleratiſsimus admiſit, commiſit, complevit.

Axell. Iſta verba Factum augent, me factorem minimè probant.

Conſil Hæc nobis ad probanda relicta ſunt.

Chryſ. Miror certè, ſi ulla tibi ſuperfuerit verecundia, quomodo à genuino rubore te continere poteris. Reminiſcere, & erubeſce, quàm officioſum te geſsiſti Inſtrumentum in promovendo, & accelerando Principis cladem. Præſidionalis *iſte* fuit Præfectus temerarii illius Comitatus, cujus ſubſidio (mandato arctiore ſuo prius adhibito) duxit & conduxit Regem ad *Altam* eam altiſsimæ *Injuſtitiæ Curiam.* In qua tam inhumanitèr ſe gerere auſus eſt, ut non puduit hunc nefarium Cohortem ſuam ad ſufflandum Necotianæ fumum in faciem Principis: nec quod minus grave fuit, comminante vultu Milites juſsit, qui ſub Præſidio ſuo erant deſignati, Bombardarum ora collimare in Heroicam quandam piâ voce exclamantem contra iniquiſsimum Cruentæ illius Curiæ progreſſum. Effinxiſſent enim in Delatione adverſus Regem prolatâ, quod conſenſu, motu, & approbatione totius Reipub. & boni populi

Angliæ

Angliæ eò deductum fore Principem; & ab eâ (ementitiâ Curiâ) ſententiam juſtè accipiendam. Cui *Heroina* illa non animoſè minùs quàm verè reſponſum fecit. "Apertè mentiri veſtrum eſt: De tota ea Republica, "& bono populo (de quo mendaciter jactaſtis) "ne de millibus producatur unus, qui aſſertioni "veſtræ acquievit. CROMWELLUS Tirannus eſt. Quâ voce graviter ſuccenſus, acritèr clamaſti (uti vino tortus & irâ) Dejicite Pellicem ne Curiæ adferat moleſtiam. Nec adhuc ceſsit furor ejus. Cannâ enim fortitèr (ut Præſidionalem Ducem decuit) uſus eſt, in cædendo milites eos, qui canorâ voce non clamarent, JUSTITIAM, JUSTITIAM. EXECUTIONEM, EXECUTIONEM.

Axell. Vocem eam (Salvâ Reverentiâ veſtrâ) redargui magis quam comprobavi.

Conſil. Hoc fuiſſet pietatis Officium; ſed pertinaciæ tuæ, (adamantinæ imò duritiæ tuæ) magnoperè alienum.

Axell. Dixi forſitan, (nec alitèr intelligi vellem) increpando magis quam animando; & ni malè memini, in hunc ſenſum talia verba (ut ſubditum decuit) protuli: "Docebo vos "clamare *Juſtitiam*, *Juſtitiam*; *Executionem*, "*Executionem*: Et Cannam exercendo meam "Clamorem eum peroſum mihi fore monſtravi.

Conſil.

Conſil. Mirandum eſt undè tam perosus clamor ille foret, quando te ſubriſiſſe adverterunt omnes poſt iniquiſsimam eam ſententiam in Regem prolatam. In memoriam tandem revoca quanto Contemptu adjudicatum Principem in vilem, & pauperculum Eſſedum (Plebeiam nempe *Cedanam*) conjici, & deportari ſtudioſè curaſti: & ne minima reverentia illius Perſonæ adhiberetur, Cui teipſum debuiſti velatis Capitibus Portantes prodire juſsiſti: Quæ omnia occultiore more peracta voluiſti, ne talis Contemptus, quo nullus gravior, odium populi percitaret. Neque his ſat ata fuit Crudelitas tua; nuncium miſiſti ad Carnificem, quo in nullo deeſſes ad tale perpetrandum & accelerandum ſcelus. Cuſtodem etiam Corporis defuncti Principis te geſsiſti; nec in eo officio minus quàm geſtire aſſueviſti. In quâ Cuſtodiâ ne parum lucratus es. Lacrymabile illud ſpectaculum oculis omnium ſpectantium fuit expoſitum. Inter quos unus cujus

* Per. Templum. * *nomen* religioſum ſe exprimit, venienſ ad hunc flebilem truncum contuendum, nullimodò admittendus erat in conſpectum illius Angeli abſque ſolutione Angeli. Quo ſoluto admiſſus, hoc ſcommate fuit ſuſceptus! "Inſpice, & introſpice ſi quid Sanctimoniæ "in eo ineat!

— Qui

—Quis talia fando
Temperet a lachrymis?—

Axell. Nemo unquam me talem Stoicum ſenſit, ut me alienæ miſeriæ inſenſibilem judicat. Novi quàm humanum eſſet humanos caſus ingemiſcere: nec eum minus ingemui imminentem morti, & ſecuri Regale collum ſupponenti. Suſpiria, & lachrymas compatientis ſubditi in me retinui. Nil humanum a me alienum fuiſſe puto. Fateor, nec me fateri pudeat, in diſciplina militari diutiùs verſatum, ab ephebis imò fuiſſe educatum: a quo Principio, ſeverioris judicii reperiantur nonnulli qui colligant *Armatis Divum nullum eſſe pudorem:* Sed qui *Axellium* novit nil unquam in eo tale invenerit. Facillimè omnibus iis quæ mihi objiciuntur, reſponſurus ſum, modò detur licentia, quæ nulli legitimo Subdito eſt deneganda.

Pont. Libentiſsimè detur modò non devies. Pretii majoris ſunt horæ quam nugis conteri. Liberè utaris, modò non abutaris.

Axell. Quam plurima mihi ſunt objecta, quæ facilimè impugnanda ſunt, refellenda imò. Pleraque eorum qui teſtantur contra me, quodam odio magis quam veritatis ſpecimine inducti varia variè excogitarunt.

Pont. Ne hominibus inculpatæ famæ tales

aſpergas maculas. Data tibi fuit opportuna libertas excipiendi quoſcunque volueris.

Axel. Hanc gratiam à munificentiâ veſtrâ n accepiſſe ingenuè fateor: Unus vero eorum q in me productus fuit, rabie magis quam ratione percitus, multa confidenter aſſeruit me tal & tanta protuliſſe, & perpetraſſe, quorum n verè incuſando conſcium nunquam proba potuit. Dixit enim me miſiſſe nuncium ne

* ELISHA AXTEL. * Nomine appellatum, qu facinus gravius augeat, p Carnifice publico; in hoc ſe tamen valdè co tradixit: *Howletum*, vel *Walkerum* ab ore me priùs aſſerendo Regalis fuiſſe Cladis Actor Quàm malè iſta conveniſſe, voſmet in Sol Juſtitiæ ſedentes humilitèr appello. Dicit etiam me inhumanitèr erga Principem milita rem meam exercuiſſe militiam; in cohor meos excitando, minis etiam & verberibus a ſtigando ad clamorem offerendum *Juſtiti* & *Executionis*; obſtruendo vocem illius *R roinæ* audacitèr exclamantis adverſus injuſti am Curiæ. Iſta omnia, & multa alia, quo fron neſcio, in diſcrimen vitæ meæ allegantur, ſu tepidè tamen probantur. Si accuſare ſuffic ret, quis innocens? Sin vera eſſent, ver unicè ſunt judicanda nec altius exurgun —*Vox elapſa perit.*— Verba (ut prius d ſe

fertum fuit) *Hæreticum* faciunt, Proditorem nequeunt.

Consil. Magnoperè te fallis si hoc cogites; gravioris sunt ponderis quàm ut umbræ penetrarentur; — *latet Aspis in ore Maligni*: & ab ore suo judicandus est. Qualia ore exprimit, talia à corde pernicioso depromit. In sinu venenum perfidus fovet; quod extùs justissimo Dei judicio promovet. Querelæ verò in te sunt prolatæ altioris conditionis, sublimioris scalæ. Non immorandum est verbis; strenuum te Præfectum gessisti, non solùm in consulendo (in quo paratissimum te habuisti) quinetiam in deducendo Principem ad Scænam Mortis (in quo Actu acerrimum te probasti) in utrisque fidissimi Proditoris officium præstans, & præstando insolentèr glorians.

Axtell. Nil ulterius feci, quàm quod Officiario militari optimè competerit. Mandatum accepi à Supremâ autoritate Regni, cui minus quam obtemperare nefas esse putavi.

Albiturn. Cui obtemperare piaculum rectiùs cogitares. A quo, obsecro, didicisti istam esse Supremam Authoriratem, cui tantoperè inhæsisti? Ista nova fuit Assertio.

Axtell. Nova licèt, ab antiquioribus Regni, & libertatum ejus Assertoribus tradita.

Albiturn. Quinam illi fuerant ſpecioſi Aſſertores; à quâ gente, quâ ſtirpe prognati?

Axtell. A Roſtris æquè ac forenſibus Subſelliis.

Albiturn. Facilè me perſuaſum habeo talem emanaſſe opinionem citiùs a Pulpitis quam Publicis Foris. Conciliabuli vel (grandem enim nec gratioſum eſſe Senatum appellatum vellem,) qui melioribus ſeclusis organis, de viginti quinque vitioſis membris unicè conſtitis, *Prædicatore* promptiſsimos & *Præcones* diutiùs novimus. De Parliamento verùm Rege carente, & tam exili numero conſtante, quis unquam audivit, & non obſtupuit? An ullo etiam cognitum fuit tempore Parliamentum, de cujus irrefragabili Auctoritate tantoperè jactas, conſtare poſſe, aut virtute ſuâ, ulla de jure *Statuta* promulgare ſine aſſenſu Principis, & Procerum: multò minùs injuſta & rationali Legi reluctantia ſancire?

Corpora abſque Capite moventia cenſerentur Prodigia: Quid opinemur de gravi veſtro Conſilio (prodigioſo nempe Corpore) ſine ſupremo Capite, ſcilicet Principe, movente, agente, nefaria perpetrante? Quæ ingrata fuerunt illa membra, quæ de amputando Capite tam immaniter cogitarent, ac ſi reſpiratio eis conceſſa eſſet, vitæ origine penitus

extinctâ? Dolor Capitis est Caput doloris. Et de Capite doluistis, ut phrenetici, donec Caput amisistis.

Consil. Multum temporis contrivit Captivus, nugantèr nimis insistendo verbis. Haud differendum est verò de *verbis*, sed *Factis:* verba licèt tanti sint ponderis, ut ad proditionem validè emineant inducentia.

Commissioni suæ ut fulcro unico, extremo refugio strenuè innititur; ab eâ verò colligat, & colligendo ostendat, si valeat, quid comprehensum fuit mandans vel tendens ad mortē Regis: aut quam auctoritatem virtute Officii sui arrogare potuit, tale tam immane, & inexpiabile perpetrandi scelus. Stipatus militibus suæ Cohortis, cujus Præfectus erat designatus, efferâ, & impetuosâ manu Regem traxit ad Curiam, obstreperâ voce clamando *Justitiam*, acceleravit sententiam; cogendo eos qui silentes erant & melioris fortasse conditionis, talem clamorem, invitos licèt, in publicum proferre.

Axtell. De tali turbâ in Aulâ promiscuè clamante difficile fuit vocem meam à cæteris distinguere. Ille ipse qu de hoc in testem contra me profertur, in disertis verbis non me incusavit talia dixisse: se *credidisse*, non audisse asserit. Num sinuosa satis appareat nuda

ista assertio? In hoc vos appello, integerrimi Judices, si vita hominis tam levis æstimetur pretii, ut unius testimonio, anxiè & dubiè testantis tolleretur. Hoc concesso, quis tum evadat? Nemo omnino, licèt innocens, si vitam promittat, si talis erga Captivos adhibenda esset asperitas. Candidos & cordatos nôrunt omnes vos esse Judices: multo lenis à vobis expectandus est in tramite Justitiæ progressus. Multo humanius est, & supra acceptius parcendi gratiam, quàm perdendi potentiam miseris præbere. Qui parcit cum perdere potuit, nobilis mentis effigiem in se retinuit. Ullius verò vitam adimere uni testimonio, eoque fluctante, & levitèr comprobante, quid gravius?

Chrys. Hisce ambagibus ne insistas; non unius, sed multorum nitimur testimoniis. Optandum esset magnoperè te tantum habuisse pudoris ad confitendum, quantum nos proferturi sumus veritatis ad probandum. Unum unicè adjiciam, omnia enim mihi si complexa essent, facilè exurgerent in Iliadem. In memoriam tuam revoces quam ingenuè monuit Colonellam HUNCKSIUM subsignatæ Regis morti minimè acquiescentem, & successum CROMWELLO gravitèr displicentem.

"Col. *Hunckse*, me valdè pudet remissionis

" ſpiritus tui, in ſervitio tam nobili, & præcla-
" ro tepidè ſe gerentis, & Regis amicis, (qui-
" bus nulli nobis inimicitiores) anſam præva-
" lendi offerentis: *Hoc ipſo tempore Navis appropinquans eſt portum: & tuum eſt diſtendere vela, cum in portum appulimus?*

Axtell. Si Dominationi veſtræ placuerit, ſeorſim diſtinguantur, & diſcutiantur verba; quo more à me prolata erant, & quàm candidè (nimiâ aſperitate poſtpoſitâ) interpretando occurrunt. Hiſce me verbis uſum fuiſſe aſſerit: " Te vidi intrantem in *Iretoni* cubiculum, " & loquentem-num vela diſtendis, num ventis Carbaſa mittes? Verborum penſentur vires. Iſtáne me proditionis arguant? Vocem, præterea nihil protulit. Haud dixit (ſalvâ reverentiâ Curiæ) quid, quomodo, vel quò orationis meæ intentionem applicui. *Edvardum Coquum* illud Legis Oraculum, ſi allegare liceat (quamvis nonnulli in hac ætate *Novelli* inſtar *Upubæ* capitibus tenellis *ova* gerentes, in arenam forenſem nuperrimè deſcendentes, judicia eorum molliora (abſit mihi credere meliora) illius * graviſsimi viri conſiliis temerè præpoſuerunt) Illum, inquam, Reverendiſsimum virum in Aſſertorem Cauſæ meæ, nemine contradicente, audactèr proferam. Verba ejus,

* Lib *Inſtit.* 7

ut à fonte Legis emanantia, licèt à quibuſdam aliis parvi æſtimentur, veluti Axiomata, à me ſunt tenenda.

Chryſ. Audiamus tandem quænam ſunt iſta quibus tantoperè inniteris, Alitèr ut lanam Caprinam, vel pulverem in aere ſparſam accipienda ſunt. Cuique non competit Legi eſſe Artificem nec Interpretem. Lecta licet bona, malè intellecta maximè officiunt.

Axtell. Dixit, & figet, ut ſpem altiorem Juratorum mentibus Cuneum; "Quod Evi- "dentia clara, & perſpicua debebant eſſe, ut "Sol in meridie. Omnia quæ mihi objecta ſunt, latiorem quandam, & ampliorem interetiam complecti videantur, ulterius extendi nequeunt. Sin *Phayrus*, & *Hackerus* in teſtes producendi ſint; & in hunc locum eſſent admittendi, hoc crimine me liberum redderent, & accuſatores evictos palam relinquerent.

Pont. Si Leges noſtræ hoc admitterent, facilè acquieſceremus: valdè autem vereor, ſi in hunc locum iis concederetur acceſſus, Quorum unus à tergo conſtat, alter in Turri manet, parum tibi proficerent. Quæ nobis fuerunt oblata, & tibi objecta nullius Solis radio commonſtrari poterint clariora. Conſtant oculis, & auribus teſtantium comprobata.

Axtell. Si iſta omnia quorum me incuſavit Do-

Dominatio veſtra, vera eſſent, & nullimodò repellenda; Sartum tectum in me teneo, murum ahæneum qui nullis machinis dirui poterit. Commiſsionem, ut prius tetigi, mecum habui; cujus auctoritate fretus & functus me æquiſsimo more præſtitiſſe ſpero quicquid feci. Primum recurrendum eſt ad Parliamentum, quo multi concurrere ſapientes, alii ſuperſtites, alii in pulvere dormientes.

Chryſ. Et multo Sapientiores illi qui in pulvere dormiunt, quam qui talem ſequendo *Larvam*, ignominiæ vivunt.

Axtell. Eo tempore quo conſtitit, & floruit, nullius ignominiæ ſtigmate erant inuſti qui Edicta ejus ſunt ſecuti.

Quoad Parliamenti auctoritatem, cujus obſequio nos obligatos intimè tenuimus, in *Statuto* eo undecimo *Henrici Septimi*, hoc modo explicatum fuit: "Haud conſentaneum eſſet, "inquiunt illi eruditiſsimi Legum Interpretes, "Rationi vel Conſcientiæ, ut alicujus Offi- "cium cognoſceretur, ſi Judicium Supremæ "Curiæ Parliamenti nulla Re- "gula nec Norma eſſet eum di- "rigendi. *Folio* 281.

Ulterius etiam attexam, hanc Supremam Curiam aſſumpſiſſe poteſtatem *Expoſitionis Legum*; dicendo, Juris conſultos (ut proprium

eis inditum officium) ſenſum earum reddituros ſub manubus ſuis, ſi quid Legibus diſſentaneum propoſuiſſent: In quâ Declaratione Regiæ Majeſtati placuit Statutum illud liberum reddere, de quo indictatus ſum, nimirum 25 *Edwardi Tertii*. In quo loco Statuto expoſitionem præbent ſecundùm Declarationem factum in 1643.

Folio 72.

Nunc veniendum eſt ad Judicium enucleate explicatum, in quo definitè concludunt: "Neminem ſub eâ Authoritate agentem reum haberi. Hæc eſt expoſitio illius Statuti, quam Primates, & Communes in Parliamento convenientes faciunt. Cui fundamento nixus, deficere nequeo. Si enim ea lux à quâ tota Reſpublica illuſtranda eſt, nos tutè non derigat, quo adminiculo utantur ſubditi, & non periclitentur?

Folio 727.

Chryſ. Iſta Argumentatio prodigè diſcurrit in juſtificationem Proditionis. Omnia in illius judicio proſperè eveniſſent, ſi fundamenta ea quæ novo Imperio jactaſſent, inteſtinis incendiis, ſimultatibus ſinnoſis non fuiſſent diruta. Hoc humilitèr petimus ut Placito reſponſum faceret; adhuc nugis tempus expenderit.

Axtell. Hæræ non ſunt nugantèr expenſæ, quæ ad conſervationem vitæ videantur ſpectare. Quam plurima audivi contra me prolata, perà-

perægrè probata video. Lumen, & columen, illud Legis (vir enim fuit conſpicuis inſtructus partibus, & eximiæ eruditionis) aſſeruit, & firmiètr tenuit, "Quod in rebus proditoriis, ad "vitam maximè ſpectantibus, & ſuſtentatio- "nem Poſterum, quorum propagationi ſoli- "citè conſulendum eſt, de iis quæ inferenda, "aut præſumenda ſunt, nulla definienda ſunt "judicia. Pretioſior, & altior eſt vita, quàm "ulla quæ in illius diſpendium inferri poterit "illatio. Talia innuant, non probant, ad- "umbrant, non delineant.

Palm. Haud te decipiat Confidentia tua, *Axtelliè*; quæ contra te fuerunt illata, apprimè & tam dilucidè probata, ut quæ à primo aſpectu tibi videantur *Inferentia*, accuratiùs diſcuſſa, minorem lucem adferre nequeant quàm Sole clariora *Evidentia*. Æquiore ac leniore aure, quoad tibi compar fuit, & in defenſionem tui maximè ſpectantia audivimus. Te abſque *Commiſsione* nil unquam feciſſe arguis. Hinc *Parliamentum* (pauperculam & implumem eam Domum, pennis enim fuſius diſperſerat, & ſe penè nudam reliquerat) Proditionis magis reum; vel *Generalem*, cujus obſequio ſub periculo vitæ fuiſti obligatus, quam eorum Miniſtrum officioſuo juſtè tangentem, ingenuè allegaſti. Sed narra, precor, quo iſta

Com-

Commiſsio, cui tantoperè niteris, ſeſe extenderit, aut quà valuerit: Num in eâ tantam auctoritatem inveniſti, ut mortem Principis conſultares, ut eum ad cruentam Curiam, nullo jure conſtitutam traheres, iniquiſsimo more judicatum irrideres? Omnibus hiſce extra limitem Commiſsionis acquieviſti, indulſiſti, commiſiſti. Proditio tua te perdidit; infælicitatis tuæ miſeremur. Ab infælice Actu fælicem haurire exitum, intimè, & tempeſtivè reſipiſcere ante obitum. Dulcis eſt ea miſeria quæ nos ducit ad meliora. Nec te per meliorem viam ad vitam, amittendo vitam, conducere novi. In te es quo te ſanes; & infælicitèr ægrotat, cui non occurrit minus mali à Medico quàm à morbo.

Pont. Quicquid in defenſionem tuam proferre potuiſti, ſummâ cum patientiâ accepimus: ſed quàm leviter à te comprobata, quis non cognovit qui audit?

Debilis erat arundo cui adhæſiſti, *Commiſſio* nempe tua, cui injuſta mandare (ut *Regicidium* quid injuſtius, quid immanius?) nefas fuit, & nullius Legis modulo quadrandum. Commiſsio res eſt mortua, ſi puniretur pœnas non ferret. Actores pœnas emeritò luant.

Graviora ut Cæli nunquam viderem mala
Cenſeantur pœna Gentis offenſa pari.

An

An ulterius reſtet aliquid quod commodè in defenſionem tuam operam impendes; vel Conſcientiam tuam, proculdubio, depreſſam ſatis, citius exoneres?

Axtell. Peregi curſum, ulteriori defenſioni finem impoſui. Juratorum Conſcientiis me, Cauſámque meam integrè tranſtuli: hiſce unicè verbis adjunctis, liceat mihi uti, & in eis iſta pia, forſitan extrema dirigere monita cordatis illis Hominibus, quorum judiciis Cauſæ meæ æquitas, & querimoniæ neceſsitas relicta ſunt. "Reminiſcite Majorum, Reminiſcite Poſte-"rum. In hanc horam nunquam audivi ver-"ba in Proditionem exſurrexiſſe. Regnante "*Mariâ*, *Throckmortonus* de verbis proditoriis "accuſatus, judiciis Juratorum æquiore Exa-"mine perpenſis ab omni ſupplicio (ſaltim a "ſententiâ mortis) fuit exemptus. Gene-"roſi vos Juratores, Cauſam, Vitam, & om-"nia in manus veſtras retuli: ut æquum vobis "videatur, fiat.

Pont. In hac Cauſâ tam ſeriò diſcuſſâ, & diſertè probatâ prolixior deliberatio non magnoperè requirenda eſt. Nec a Pergula neceſſe eſt vobis longiùs diſcedere.

Cler. Semoveatur *Axtellius*.

[Educatur *Foſſorius*.

Scæna

Scæna Quinta.

Cler. LEva manum *Foſſorie.* Quid dicis ad Proditionem de quâ indictatus? Reus vel non?

Foſſ. Proditionis reum nequaquam me fatebor. Ut Officiarius à *Generali* deſignatus quod mihi demandatum fuit, præſtiti: & in eo permulti de Clementiâ meâ conqueſti ſunt.

Chryſ. Non de Lenitate ſed crudelitate Diſciplinæ agendum eſt. Unum inſtar omnium ad hanc Comitialem locum te deduxit.

Pont. Priuſquam ad Delationem ipſam deſcendamus, data eſt tibi libertas, *Foſſorie*, excipiendi aliquem Juratorum, antequam Juramentum acceperunt; modò in exceptione illâ nnmerum non ſuperes.

Foſſ. Neminem excipiam.

Conſil. Ut àprimo ordiamur, probatum habuimus hunc Captivum Regis fuiſſe Cuſtodem, & in manu ſuâ habuiſſe Executionis Warrantam.

Foſſ. In hoc à labore vos eximam. Ingenuè me fateor Warrantam habuiſſe, & Regem ſub

ſub Cuſtodiâ meâ tenuiſſe; in quo officio ſi defeceram, Superiorum mandato apertè obſtitiſſem: & quam periculoſum fuit moram agere in negotio tam alto, & arduo ſi quis ignoret, Principatum noſtrum peregrè novit. Pœnæ in eo tempore non erant deferendæ: Qui non pareret, neceſſe fuit quod pereat. Quicquid feci, per Commiſsionem egi; ulterius defenſio extendi nequit, Mandatum non obſervari, tendebat ad diſpendium vitæ, hoc novi; & ab hoc me alacriorem in præſtando officium geſsi. Quis ſe ſibi tutum in aliquo cogitet, ſi vitam integrè non ſervaverit?

Albiturn. Multò optatior fuiſſet mors decora, quam vita perfidè lucrata. In apicem verò cujuſque ſceleris per gradns attingitur. *Nemo repentè turpiſsimus.*

Neque ſatis tibi fuit in eo grandi tyrannidis Diluvio, quo nulla à *Syracuſano* imperio ſæviit inhumaniùs; in rigidum Cuſtodem Supremi Cuſtodis teipſum gerere nec Warrantam unicè primam in manu tenere; quin etiam aliam de novo conſcribere, quo celeriùs deſignata mors Principis expediatur. Reſponſum reddat, ſi Novam non conſcripſit, & exequendam non paravit.

Foſſ. Novam nec conſcripſi, nec novi.

Albiturn. Nova magìs quam credenda nar-

narras. Hoc multorum teſtimoniis comprobandum claret.

Conſil. Non neceſſe eſt hiſce immorari. Se ex ore ſuo Proditionis egregiè reum collegimus. Aliud etiam eſt cui adhuc non inſtitimus, quod humeris illius onus multo gravius impoſuit, quàm ullis viribus deponi poterit. Ducem, ſi non Actorem ſe præcipuum in hac *Regali Tragœdia* oſtenderit.

Iſta manus quam nuperrimè levatam vidiſtis, Regem ſuum perpetuâ memoriâ celebrandum traxit per S. *Jacobi* Vivarium ad mortis Theatrum: a Cænaculo in Scænam vitæ ultimam, a Refectorio, & Recubitorio in quo diſcubuit, ad lugubrem locum; in quo vitam ejus amabilem ſecuri ſubjecit.

Foſſ. Duxiſſe me fateor; & Superiorum mandato feciſſe, Cui non obtemperare nec vitæ meæ tutum, nec fidelitati æquum judicavi.

Conſil. In eam ſervando, ſubditi fidelitatem violaſti. Charo nimis pignore vitam conſervaſti tuam. Règi qui perfidus, nulli fidus.

Foſſ. Regi in perniciem ſubditi regenti nullam adhiberi fidem cenſuimus.

Conſil. Severi fuiſtis Cenſores. Tales verò Cenſuræ funditùs ſpernendæ, quarum Auctores minùs approbandi. Veſtrumne fuit de Principis regimine judicare?

Han:

Hanc opinionem à *Paræo* imbibistis; cujus instituto parere, regalem fuit Principatum destruere.

Foss. Nullum quàm *Paræum* opinioni nostræ magis comparem invenimus: Eum ut Politicæ nostræ Ecclesiæ Oraculum, Spiraculum imò tenuimus. A quo salubritèr monente hoc ut Axioma Status in Principe, & illius Regimine observavimus,

"*Cui plus licet quàm fas est,*

"*Plus vult quàm licet.*

Chrys. O quàm facilè te fefellisti! Subditis regere, Regibus subjici quid iniquius?

Foss. Subditis opprimi, pejus.

Chrys. Et quam Medicinam parasset Empyrica manus vestra tali pesti, tanto fatali malo? Num Proditio, Patriæ Perditio tali gravamini levamen adferre potuit? Mira magis quam credenda canis! Ab hoc Empyrico fuco Medicinam morbo pejorem fluctuans iste Status nuperrimè reperit. Quàm insolentèr iste Proditor se getit! Tam aliena est mens ejus à confitendo, vel dolendo, ut crimen aggravare videatur comprobando.

Pont. Mirandum certe est, *Fossorie*, quomodo illa Clementia, & Humanitas tua, quam, ut audivimus, tui, & Exteri satis sunt experti, in tantam crudelitatem, ac inclementiam conver-

teretur, Illi-ipsi præcipuè minùs compatiendo, cujus salus patriæ fuit solatium, cujusque Bon Subsidium! Cogita unde venisti, & erubesce; Ubi es, & pertimesce; quò vadis & perhorresce. Grave est peccasse, gravius perseverasse: Tanto sceleri paucæ lachrymæ vix sufficiant. Recole transacta, & ingemisce.

De hac re non necesse est *Juratoribus* longùs secedere, nec consilium inire. Nec magnò perè opus est multis Testibus, ubi Captivus contra seipsum in disertis verbis testimonium perhibet.

Scæna Sexta.

Cler. ABducatur *Fossorius*, adducatur *Sacarius*. Aspicite Captivum Juratores.

Albiturn. Contuemini virum, & ingenio asseretis

——*Homines Prodigia rerum*

Maxima.——

Iste ipse est, nec compar inveniendus est. Qui de illo immani scelere jactavit in *Hybernia* quod perpetrasset in *Angliâ*.

Hulet. De quo, obsecro?

Albiturn. De illo nunquam erubeſcendo ſatis, nec pœnitendo *Regicidio*, in quo te præcipuum Actorem jactaſti, geſtiſti imò.

Sicarius iſte *Huleti* nomine clariùs dignoſcitur.

Hul. Inaudita refers. Malitioſè excogitata ſunt iſta Commenta. De ſcelere eo nunquam jactavi. Vos appello, *Cordati Judices*, ſi communi Rationi quadrare videatur, me de eo ſcelere, utì Actorem, jactaſſe, cui nec acquievi, nec novi!

Conſil. Quàm altè proceſsit impudentia tua? Nonne viſus fuiſti in Theatro illo Tragico conſtare, & propriâ manu Securem tractare, Cui Princeps Caput ſubjecit?

Sic. Quis me in eo Theatro conſtantem viderit?

Conſil. Qui te à voce tuâ optimè collegerit.

Sic. Fallax eſt vocis Sonitus. Vox *Hiænæ* à voce *Patris-Familiæ* diſtingui aliquando non potuit: multo minùs Hominum Cartilagines diſpari motu exercentium. Nónne me alio dignoſcere poterint geſtu, motu, vel vultu quàm diſcrepante eo vocis ſonitu?

Chryſ. Ab Apertis Faucibus facillimè diſcernendi ſunt Lupi. Velato licèt ore & larvatâ veſte, quo ſpectantium oculos eluſos magis teneas, exter us te ignotum haberi velles; æquè tuis fuiſti notus, ut tuipſe tibi. Imò

multo melius; conditionem enim Subditi penitus ignoraſti in Conjurationi adhærendo; verò aperuiſti in ſceleratiſsimæ illæ actioni num adhibendo. Non meminiſti etiam *Novum* acquiſiviſſe Nomen eo ipſo tempore in quo ſuper Theatrum illud cruentum Gladiatorio more conſtitiſti; & Scænam Proditoriam nullo exemplo coæquandam pegiſti?

Sic. Nomenclator eris, ſi tale Nomen Hii inveneris. Quo tandem *Nomine* induar?

Chryſ. Canæ Barbæ titulo, ut optimè noſ fuiſti publicè denotatus.

Sic. Sub quâ Notâ me *Stigmate* quam *Nomine* inuſtum fuiſſe colligo. Hæ patientiâ veſtrâ, expeditiùs me explicem: quis me unquam *Canam* geſsiſſe · *Barbam*, ſub eo *colore* aliquid machinaſſe aſſeret, Proditionis me reum ingenuè agnoſcam.

Conſil. Hoc à variis Teſtibus in diſertis bis contra te probatur. Quibus ſi reſponi paraveris, & luculentiam eorum improbave multæ tibi adhibendæ ſunt larvæ, multipli offuciæ, artificioſè conditæ. Probatum am habuimus, (quod graviorem tibi horrore incutiat) te Caput ſereniſsimi Principis ſi amputaſſe, amputatum ſpectantibus oſtendi

oſtendendo impudentèr oſtentaſſe, hiſce verbis nefariè utendo, HOC EST CAPUT PRODITORIS.

Sic. Proh Dei, & hominum fidem!

Chryſ. Proh eorum qui violarunt fidem!

Sic. Nunquam talia audivi.

Chryſ. Talia tamen auſus es inſolentèr effari.

Imò licèt nullum mihi deſiderium affuerit criminis ſui immanitatem aggravare, quiddam ulterius adjiciam, quod intentiorem ori ruborem, menti terrorem ſuffundat, ſi Culpam ſentiat, vel Conditionem ſapiat.

Sic. In marmore ſi inſculpta mea eſſent Crimina, parùm me moverent Innocentiam meam appellando; Sartum mihi tectum paravero contra omnes linguas, maximè licèt lividas mihi adverſantes. Nihil habeo in me, quod teſtatur contra me, ni in diſpendium famæ ſuſcitetur Calumnia.

Chryſ. Quàm perfida eſt iſta Pertinacia! Certè non meminit quali reſponſo perplexos eos reliquit, qui interrogantes eum de nece Principis quid cogitabat, & quo jure comprobari potuit; "Tantoperè approbo, inquit "Ille, ut ſi hoc adhuc infectum eſſet, alacritèr "agerem. Tam venenoſa fuit illius perfidia.

Pont. In hac Diſceptatione ſat tempor contrivimus. Quam plurima audivimus luc lentèr probata ; à Captivo perpauca vel nu ſeriò allegata. In *Foro Conſcientiæ* impetr Solatium, ſicut in hoc *Foro Judiciali*, ju ſceleris meritum, accepturus eſt *Juſtitiam.*

Removeatur SICARIUS.

Evocetur CLEMANTIO ad Perg lam.

Scæna Septima.

Cler. REſponſionem redditurus eis de q bus indictatus es circa hanc p ditionem.

Crem. Me ex *ignorantiâ*, non *præpenſâ M litiâ* feciſſe quicquid feci, ingenuè aſſero.

Chryſ. Ignorantia excuſet de *tanto*, non *toto.* Nemo ſe unquam promptiùs, nec p catiùs in hac actione geſtit. Verè Nom CREMANTII promeritus eſt ; ſi enim in p teſtate ſuâ fuiſſet, totam Rempublicam *cr cremaſſet* ; publicis & privatis diſcordiis Urbe hanc florentiſsimam penitus diſsipaſſet. L centiùs imò dicam (nec veritati aſſertionis re nitendum eſt) ſi Proditio tam nefaria fortu

invaluiſſet, Specioſam hanc Fabricam in pulverem redegiſſet.

Crem. In Tutelam Civitatis pro viribus meis in Satellitem Conſtantiſsimum me ſemper geſsi.

Conſil. Bonus Civis Civitatis Salus; Malus verò omnium Peſtis teterrima. In Satellitem perægrè te oſtendiſti in Civiles excitando flammas, & populum adverſùs Principem ſubtiliùs perſtimulando.

Chryſ. Maioris officium quamdiu præſtitit, tam inſolentèr ſe habuit, ut publicè de ſeipſo jactare non erubuit,

Major *ſum quàm Cui potuit Fortuna nocere.*

Regem ut perdidit, in Regem ſe geſsit in Urbe. Novas Leges ſancire, ſacra invadere, Olearia Fora in Cœmeteriis erigere paratiſsimum ſe obtulit. Sub prætextu tamen pietatis, quo plurimos decepit, iſta omnia Callidè patravit.

Crem. Immaturior ætas mea in varia me projecit diſcrimina. Aliorum Conſilio nitens meipſum perdidi. Ex animo meo nunquam fuit aliquid mali contra Regem machinari. Pium, & Prudentem tenui eum eſſe Principem. Leges ejus ſalubres, & ſalutares. Subditos ſub tali, & tam ſereno Imperio omni terreſtri fælicitate frui.

Consil. Undè coorirentur inteſtinæ lites, diſcordiæ, ſimultates in Regione tam æquè ac pacificè diſpoſitâ?

Crem. A Mentibus novitatum avidis. Ea temeritas mea perperàm me traxit, pellexit, interiore lumine captum implicuit. Tam facilè fuit Malorum Conſilio capi, & decipi. Tam mollia, & auribus placida ſuggeſſerunt iſti Novatii.

Conſil. Temerè nimis Proditorum Conſiliis aurem applicuiſti.

Crem. Nec ſine dolore iſtud fateor. Sed eò infælicitas mea me impulit. Ex animo ſæpiſsimè optavi me in ardentem Clibanum fuiſſe projectum, quamprimùm ut eorum peſſimis ſuſurris acquievi.

Pont. De dolore tuo maturiùs coalito, magnoperè gratulor. Si quid ulterius in vindictionem tui efficacitèr propoſueris, attentiſsimis nos auribus paratos invenies. Talem mentibus noſtris tuæ conditionis ſenſum impreſſit genuinus iſte dolor. Patientibus compati didicimus. Redde ſi quid objiciendum in promptu habueris.

Crem. Miſericordiæ Regis humilitèr me offero; cujus gratiam interceſsione veſtrâ ut pro me impetretis, ſupplicitèr poſtulo.

Perditum Ovem redimere, & in Caulam re-

reducere quid gratius? Quid Reverentiæ veſtræ offeratur accommodatius?

Cler. Secedat *Cremantio*: Succedat CORILÆUS.

Scæna Octava.

Cler. LEva manum *Corilæe.*

Fanit. Inter Manes manet: Talem Cuſtodiæ meæ traditum non habeo.

Exceſsit, erupit, evaſit.

Conſil. Quo evaſit? Sine conceſſu, & conſenſu Superiorum! Captivus ſi evadat, æquiſſimum erit, quod Janitor pœnas luat.

Fanit. Inevitabili Fato de manibus meis abreptus fuit. Tali modo evadentem Nemo Mortalium detinere potuit. E cuſtodiâ noſtrâ, ictu oculi citiùs ſubſtractus fuit. Ne veſtigium illius poſt egreſſum, licèt diu, multúmque quæſivimus, erat reperiendum. Tam *mirificè* diſparuit.

Cler. Quo ivit?

Fanit. Deſcendit ad inferos, ut plerique putant.

Cler. Nulliſne viribus revocandus fuit?

Fanit. Nullimodo: Nec ſequi ſumus auſi.

Cer-

Cerberus ille *Tartareus* portas qui *Ditis* tenet, *Atro cane Newgatenſi* noſtro multo fortior eſt, & ferocior; Evadenti acquievimus, ne ſequentes periremus.

Chryſ. Deſcendat, modò nunquam ad nos redeat, nec reſurgat. Optandum hoc eſt ab Omnibus bonis. Sicut enim ditiſsimus, ita omnium Proditorum meritò dicebatur peſſimus.

Pont. In pace dormiat, ſi Tales paciſcendi ſpem teneant. Ad alios hujus cruenti ſceleris Conſortes tranſeamus.

Cler. Evocetur CIBISTES.

Scæna Nona.

Cib. SUb falſo, & erranti Nomine indictus ſum. *Cibiſtus*, non *Cibiſtes* appellandus eram.

Pont. Parum hoc refert ad Proditorium illud ſcelus, cujus te non ſolum intentiſsimum geſsiſti Fautorem, ſed egregium Actorem.

Ad Conſervationem *Nominis* magis quàm *Honoris* vitæ ſuæ progreſſus ſemper ſpectavit. Iſte enim eſt qui fuit, nec ſe talem fuiſſe erubuit, cujuſque laſcivæ, & petulantis fœminæ aſsi-

aſsiduus Servus, hircanus Comes; Qui Mæcham ſecum conſtantèr habuit; qui Connubiis Emporia primùm fundavit; Repudia ut temporis ludibria facetè tenuit.

Cib. Scortum probari Proditorem Solœciſmus eſſet omni argutiâ ſubtilior. Nunc quoad *Factum*, de quo accuſatus ſum, ingenua à me reddenda eſt Confeſsio: Acquievi, ſed non in eundem *modum* & *formam* agendi de quâ accuſatus maneo. Nequè enim perfidè, *paracidiè* nec *malicioſè*, ut in Billâ apparet contra me illatâ, aliquid unquam patravi.

Chryſ. Apagè! Quam argutè proditionis velum ſibi obtexit? Ac ſi *lentèr*, *innocentèr*, & *humanitèr*, cladem Principis moliri poterit. Hoc pretextu, ſi judicio meo niti liceat, non imminuere crimen, ſed augere videatur. Factum agnoſcit; modum agendi non admittit. Excuſat ſe in circumſtantiis, ſed in actione reum ſe non denegat. Levtèr, ut conſuetudo ejus ſemper fuit, nobiſcum ageret, in nugis conterendo tempus, & proditionem ſuam ſpecioſis velando offuciis.

Haud nitendum eſt circumſtantiis, nec quicquam ulterius probandum eſt. Qui ſe tam immane crimen *cogitaſſe*, *conſuluiſſe*, & *ſignaſſe* agnovit, ſat ſuperque fecit, quo tanti ſceleris conſcium ſe reddat. Ore *Malitiam* neget,

get, ſed corde comprobat. Innocens nemo apparere potuit, cujus cor conſcium ſe probat.

Pont. Nullis floſculis nec verborum lenociniis iſta diluenda ſunt, nec delenda; licèt te facetum & acutum ſatis novimus. Facetia in nequitia abuſum parit ingeniì. Confeſsio tua Juratores uberrimè inſtruxit, quomodo totum agerent. Agnitio facti ingenuè facta, aliis circumſtantiis poſtpoſitis, Juratori alicui cordato, abſque ſcrupulo, æquiſsimo more, & jure ſatisfaciat.

Juxta ordinem Curiæ ſeriatim accerſeantur reliqui.

Scæna Decima.

Cler. PRoferatur ARGASTO. Leva manum ad Pergulam, *Argaſto.* —Date viam Captivo quo clariùs appareat.

Chrys. Quo nequitia ejus appertiùs emineat.

Impudiciſsimus iſte fuit Proditor, cujus obſcæniore ſputo Regis ora fuerunt illita.

Arg. Hanc Calumniam injuſtè aſperſerunt Inimici mei. Appello Superos me nunquam tale

tale dedecus Principi intuliſſe. Nullus eſt finis innati livoris.

——*Latet Anguis in ore Maligni.*

Chryſ. Sed livor incluſus ſinubus latet altior.——

Dedecus tam puro Principi immundities tua adferre non potuit. Multo faciliùs Ei fuit detergere *Sputum*, quàm tibi *Crimen*. Nequiſſima Proditio plurimis comprobanda extat Teſtibus. Nemo unquam in machinando malum ſubtilior, nec perpetrando promptior. Principis Oblivio, & Obſervantia Tyranni iniquiſſimum te ſubditum fecerunt.

Arg. Nil incoactus feci. Si Superiorum juſsis obtemperare nefas fuerit, quàm multos invenietis reos, qui hactenus in lucem non prodierunt. Varii ſunt Angues ſub fronde latentes, variiſque diſtincti coloribus, & vobiscum (ni fallar) conſedentes, qui acutioribus uſi ſunt ſtimulis, & alacriùs ſuſtinuerunt jugum Tyrannidis (ſi eo Nomine appellari liceat;) & iſti egregii Magnates, ac ſi omni Lege eſſent Superiores, manent ſecuri. A quâ Primatum indulgentiâ, tritum illud Adagium rectiſsimè innovetur,

Peccarunt Corvi, vexat Cenſura Columbas.

Palm. Iſta quæ profers pertinaciam probant; in defenſionem tui leviter referunt.

Cui

☞ "*Cui facere licet quod libet,*
"*Statuat facere quod licèt.*

Neci Principis tam nefarie consilium dare, sigillum applicare, & manum adferre, quid sceleratius, quid proditioni similius? Nullis involucris talia velanda sunt flagitia. Sicut Exemplaribus carent, exquisitis pensanda sunt suppliciis. Imperii Saluti tepidè consulit, qui Proditori parcit.

Arg. Parliamento obedire si tale fuerit facinus, maculam Proditoris me nullimodò absterfurum fateor. Sed si crimen foret Inferioribus hisce Foris reluctari, Piaculum certè fuisset Publici Consistorii Edictis refragari.

Consil. Reg. Consistorium appellas! Haud equidem tali fuit dignum honore; Conventiculum potius. Num legitimam eam Synodum reputes, in quam nec Princeps, nec Primates erant admissi? E quâ Boni fuerunt excluſi Nationis, pessimi furtivis votis, & vocibus unanimitèr accepti? Quale, obsecro, fuit istud Organicum Corpus, cujus *Membra* tali laborarunt *Epidemiâ*?

Albiturn. Longè tamen à Lethargia; vires, nisus, & nervos alacritèr satis exercuerunt, quo stirpem Regalem funditùs evertant, Clavem florentis Regni destruant, *prodigiosum Corpus* sine *Capite* erigant.

Arg.

Arg. De Corpore infirmo integrum reddere ſtatuimus.

Conſil. Sed Medicinam morbo pejorem feciſtis. E Statu *Hydram* multis Capitibus ſuppullulantem produxiſtis. Hiſce mediis, hiſce machinis in noſtram *Arcadiam* malorum *Iliadem* induxiſtis.

O quanta infalicitas fuiſſe falicem!

Albiturn. Imò quanta fælicitas fuiſſe infælicem! Hoc apprimè experta eſt *Arcadia* noſtra, quæ ſub jugo arctiſsimæ ſervitutis diutiùs gemuit, faciem Principis ignorans; Tyranni furorem ſuſtinens; ſtupra, rapinas, & optimatum clades lacrymantèr patiens: nil præter Spectacula appropinquantis miſeriæ & properantis diluvia ſubverſionis contuens.

Diruta ſunt Machinis ſurgentia mœnia Martis,
Hoſtibus, & Cives præda fuere feris.

Arg. Quinam, obſecro, noſtrûm portas vel poſtes effregit? Quis ingreſſum in Urbem obſtruxit? Quis tumultuantes Cives contra Synodum ſuſcitavit? Quis eorum animos in varias ſententias diſtraxit? *Nomen* revera Illius, qui Conſtitutioni Status noſtri maximè obſtitit, hoc incepit & præſtitit. Nil aliud de *Calidonia* Ducem eum ſubtilem & diu dormientem traxit, quàm ut Conſularem Dignitatem noſtram ſubvertat, & unius Imperium uni reſti-

tuat,

tuat. Summa nobis incessit cura omnibus placendi, modò complacentiam nobis addiscerent: augendi nostras non imminuendi vires: Illius verò imminuere quas auxisse studuimus.

Consil. Quis tandem eas reclusit portas, quas Pio prætextu prius clausisset? Desiste, desiste: audacia hæc tua dignitati loci minimè competit, Judicibus magnoperè displicet; proditioni tuæ parum emolumenti attulit. Multò majore patientiâ audita fuit tua defensio, quàm sceleris nequitia, vel linguæ procacia videantur promeruisse. Ori tam petulanti, & præsenti Regimini contumaciùs invehenti silentium impone.

Arg. Illius *Curiæ* subditus fui, nec me subjici puduit; cujus dignitas consistens in commodum alterius me alacriorem in ejus servitio reddidit.

Chrys. Quis à Captivo læsæ Majestatis reo talem insolentiam unquam audivit, & non miretur? Tyrannide sævientem Curiam laudare & dignitatem tantoperè dilatare; Nemo si minimæ modestiæ guttulâ imbutus non erubescat. Disce tandem verecundiam, contumaciam dedisce. Sileat, ne aliis pertinaciæ Exemplum præbeat.

Pont. Plura audivimus quàm libentèr audire

dire voluimus. Recollige teipſum nè perpe-
ràm te deſtruas.

Spes indulgentiæ pœnitenti pateat, obdu-
reſcenti nulla.

Cler. Subtrahatur *Argeſtes*;
[Evocetur *Penetius*.

Scena Undecima.

Cler. LEva manum *Penetie.*

Conſil. Hunc Peſsimum Civem, in nullo civilem, puſillanimem licèt *Natura* fecit, *Perfidia* fortem.

Pen. Non *Voluntatis* errore ſed *Judicii*, me delyraſſe fateor. Proditoris ſtigmate Nomen meum immeritò fuit inuſtum. Deus novit, quem appello, me omnibus horis ferventèr oraſſe pro Salute Regis, & illius Securitate.

Chryſ. *Securum* ſatis vos eum feciſſe credimus, donec vitam Ei abſtuleritis. Qualis verò fuit iſta *Securitas*, quæ Principis Caput ſuppoſuit *Securi*? An necem Regis moliri, exponi potuit orare pro Rege? Tales exoticæ orationes in Liturgia non ſunt inveniendæ. Finibus Imperii noſtri maximè ſint alienæ.

Pen. Sententiæ illius *Altæ Curiæ* ignorans acquievi; nec memini, ni memoria me fallat, præsentem esse eo vel loco vel die in quo denunciata fuit sententia illius mortis.

Chrys. Hoc à plurimis Testibus probatum accepimus. Proditori si negare sufficeret, nemo tam seleratus qui laqueum facilè non erideret.

Pen. Iniquè sed invitè me feciſſe fateor. Nec invitum aliquem feciſſe malum reor, licèt malum fuerit quod fecerit.

Albiturn. Ante hunc diem nunquam audivi *Penetium* egiſſe Sophiſtam. Quin ardua nimis tibi imponeretur provincia comprobare te invitum egiſſe, cui manum & ſigillum, nemine cogente, nec magnoperè ſuadente tam libentèr appoſuſti.

Pen. Nil ulteriùs occurrit quo reſpondeam, Principis gratiæ unicè nitendum eſt: quâ fruar, Neminem devinctiorem, nec tali beneficio gratiorem inveniet.

Cler. Semoveatur *Penetius*, deducatur MILRATUS ad pergulam.

Scena

Scena Duodecima.

Cler. QUid dicitis ad Indictamentum Proditionis adversum vos prolatum?

Murat. Nihil aliud, quantum ad me attinet, quàm quod ingenuè, intimè & integrè explicui. Confessus sum me reum esse Criminis: neque de ullo me magìs pœnituisse quàm de tali Consensu, cujus memoria mentem afflixit meam mille doloribus. Nec cordatè minùs agnovi à quo motu Consensus illius fomitem primùm concepi; à *tentatione* nimirum mihi perperàm suggestâ. Per triginti annos in transmarinis locis fui versatus; Quo tempore transacto (nimis citò) huc recessi; penitùs ignorans constitutionem hujus Regni. De variis Regiminum formis quamplurima audissem. *Quintæ Monarchiæ* astabant alii; *Imperio* alii *Platonico*; alii *Plebeio*: unius Regimini acquieverunt Perpauci, & illi vocibus funditùs superati. *Independentis* alii, *Levatoris* alii Gubernationis methodum, sine Clave, sine Capite, avidè sunt sectati.

Nullus admittendus erat finis dementiæ: in hac farragine, colluvie potius meipsum fateor

altioribus promiſsis illectum infælicitèr decipi. Hamum pendentem vidi, & inconſultò cepi; futuræ ſaluti parùm conſulens: imminentem divertere ruinam tardè nitens, tepidè molien. Sic qui vult eſſe Prædo, fit Præda: & qui capere cupit, capitur.

Pont. Iſta pii doloris ſunt inſignia. In omnibus quæ Juſtitiæ competant, cujus officii ſumus deſignati, emolumenti tui ſtudios erimus.

Mur. Nil niſi vota ſuperſunt. Veniam nequaquam merui, penes tamen Principem mihi dare quod parùm merui; cujus miſericordiam unicum mihi aſylum teneo: cuique innixus ſurgo, vel pereo.

Pont. A Lege Juſtitia, à Rege Indulgentia ſpectanda eſt.

Mur. Benè patitur qui compatitur.—In ſententia mortis quæ judiciis veſtris tradita est, multo nobilius eſt poſſe & nolle, quàm nolle & poſſe. Nec minus eſt ſperandum quæ interpellatione veſtrâ, qui contritionem meam verè teſtimini, tantum me gratiæ acceptum eſſe à Principe, ut ſi Criminis non veniam, Serenitate ejus obtineam quoad vitam; Captivum tamen vel Exulem ſupereſſe permittaret, quo vitæ reſiduum conſtantis fiat pœnitentiæ habitus, & terrendi alios à tali ſcele-

eminens Exemplum. *Reges Israelis mansueti erant*; nec minus expecto à Rege Angliæ. A *Sacra Quercu* quo se abscondidit, Nos debiles Surculos prospiciat, & parcat. Angelicum habet Titulum. Angeli miseris compatiuntur; talis est eorum charitas. * Et Angeli terrestres, ut Homines cœlestes imitantur eos. Procul à magnanimis ultionis cupiditas est: nec in magnanimo Rege minor adhibita est mihi fiducia. In nullo enim superis similiores sunt homines, quam in opera Misericordiæ alacritèr commonstrando, & in Exemplo Posteris relinquendo.

Pont. Unicè nobis exhibita est Commissio *judicandi*, non tempus *Executionis* definiendi. Istud alio loco transfertur, cujus limitem eorum judicio, cui designatum est, humilitèr, ut nos decuit, reliquimus.

Mur. Obedientia mea in redeundo juxta *Proclamationem* editam, & in gratiam nostram publicè promulgatam, pro me, ut spero, si in omnibus aliis adminiculis penitus deficerem, efficacissimè loquetur.

Pont. Tibi, *Murate*, & *Cæteris* qui *excepti* erant de *Regalis Indulgentiæ* beneficio hæc concessa fuit gratia, quo conditio vestra altiùs, & arctiùs discuteretur. In quo Examine ne

* *Homines cœlestes sunt Angeli terrestres.*

dubitandum ſit quin Summa deliberatione ad-
hibitâ, ſententiam accipietis.

Mur. Det mihi Deus patientiam, Princip
Clementiam. Immeritò poſtulo, ſed emeri
reparem.

Cler. Proferatur *Lignifluus.*

Scena Decima-tertia.

Cler. AD indictamentum quid dicis *Lig-
niflue ?*

Lign. Nil aliud quàm quod priùs dixi, Fa-
teor me reum. Nec me Reipublicæ vel ul
alio regimini ſtuduiſſe quàm mihi-ipſi. A
Morte *Olivari*, qui à nobis abreptus fuit in ven-
to, & fulgure, terribilibus monitis & mi
CLAPWOLDIÆ filiæ perculſus, vanâ ſp
illectus, opinatus ſum me de Subdito illic
fieri Regem. Eò me ſuaſerant Amici, ſe
interiùs ſubdoli, & mihi perfidi. Quor
Conſilio aurem libentèr applicui.

——*Innata Cupido regendi*
Quid non facit ?——

Conſil. O quàm te miſerum fecit ambiti

Lign. Ingenuè fateor. Primùm enim m
ſpreverunt, qui me tantoperè ſpectarunt. E
ran

rundines confluunt in Vere, in Hyeme defluunt. Sic mecum mei fecerunt. *Fatuum* me vocando, quem priùs, leniore mihi afflante Zephyro, veluti Unum de *Septem Sapientibus* æstimarunt. Sic me deseruerunt, qui me primùm inflarunt; à quorum dissensu, me sentire cepi.

Consil. Benè tecum fuit, quod te sensisti.

Lign. Postquam *Protector*, (illud Phanatici Status Phantasma) vidualem filiam suam in Sponsam mihi dedisset (utinam mihi vitam abstulisset quamprimùm ut desponsasset) ab iis enim Nuptiis mea processit miseria; inter amplexus Socri tenerrimos haud diu remansissem, donec alii Familiæ nostræ astuti magis, & sinuosi, *Protectoris* gratiam mihi alienam fecerant: licèt hanc opinionem de me constantèr retinuit, quod probitatem meam nunquam suspectam habuit, sagacam maximè. Unde fuit quod me Generum ingenuè cordatum sed simplicem vocaret. Sed de meipso non tam levitèr sensi. In defectione enim *Richardi*, Militum gratiæ innixus (de qua me gravitèr fefelli) perbrevi tempore sperabam *Supremum* me *Titulum* adepturum. Illi verò versatiles Milites de quibus maximè confisus sum, me tepidè reliquerunt, miserum magis quàm invenerunt. Hac spe orbatus, quâ diutiùs lactatus

fui, levitatem meam satis expertum habui. Et me valdè pœnituit tam diu insaniviſſe. Perfidiam horrui: nec aliquem optavi Regalis hujus dignitatis summoperè fieri participem, quam *Natalem Britanniæ Hæredem*, cui imperium omni jure devolutum fuit. In cujus gratiam mille si vitæ mihi essent conceſſæ, libentèr amitterem.

Albiturn. Optimè te explicuisti: quod si opportunè cogitasses, quàm impunè evasisses judicium?

Lign. Pœnitentia, ut spero, si seria, nunquam sera. Ambitio me Proditorem fecit: & de nullo magis doleo quàm tales fovisse motus.

Misericordiam Regis imploro; Cui vestro interceſſu unicè incumbo, alitèr pereo.

Pont. Nostrum est judicare, Regis miserere.

Isti Juratores Cordati secundùm Evidentiam iis exhibitam, optimè elicient quam de te, & cæteris eodem crimine gravatis rationem reddent.

In Septimam horam Crastini, in hoc loco constituta prorogetur Sessio.

CHO-

Chorus Conjugalis.

Si Turtur gemat defuncto Conjuge,
Nec viridi nota eſt ſedere germine,
Quid faciant Viduæ, deſerto thalamo,
Quam triſti vultu teſtentur funera
Comitatu nuda, Exequiis indiga?
Quàm brevi tempore proſpera defluunt!
Nil infælicius quàm fuiſſe *Semel*
Et periiſſe: *O vox auri gravis!*
Aulico Statu, tituliſque clarum
Plebæi meum ſpectarunt Virum,
Et admirantes tenuere thorum
Beatum nimis cui talis ſocius;
At Lux extincta eſt orientis gloriæ,
Tragico fine clauduntur omnia.
O Vane faſtus Clauſus faſtidio!
Splendida radio preſſa deciduo!
Nec mira canimus; Regalis Hecuba
A Caſu Priami *ſucceſsit miſera;*
Sic Cleopatra, *quâ nulla clarior,*
Cultu nitidior, Comitatu Pulchrior,
Regum amplexibus nec amabilior
Aſt perjit iſta Status ſublimitas!
Sic humo homo, Regeſque Rogis
Redituri ſuis: nec quid ultra manet
Quo glorietur defuncta claritas.

Hinc noſter grāviùs invaluit dolor
Spectare thori Sponſalis ſocios
Pendentes laqueo, laceratis iliis
Carnificis manibus impurè traditis.
Hæc ſi non ſaucient pectora vulnere,
Conſtarent Thracio duriora marmore.
Sin Superum juſsis reluctari nefas,
His liceat lachrymas immolare pias.
Ultima Conjugum penſa Superſtitum,
Irriguis Oculis vota teſtantium.

ACTUS QUINTUS.

SCENA PRIMA.

Intrant *Cives.*

1. *Civ.* MUltíſne audis hanc denunciandam fore ſententiam Mortis?

2. *Civ.* In decadem ſurrecturos eſſe plerique autumant. Quorum exoſa memoria in Decadem Poſteris relinquenda eſt. Multi verò alii ſunt inveniendi qui nobiſcum manent, conſpicuis officiis præſunt, & omni verecundiâ remotâ eis crimina aſpergunt,

gunt, quibus in progreſſu nequitiæ ſuæ compares, ſi non ſuperiores evaſerunt.

1. *Civ.* Mirandum eſt, quod iſti nefarii tam diu laterent, & emeritas non ſubirent pœnas. Quos unus amor in crimine ligat, una in crimine pœna implicat.

2. *Civ.* Juſtitiæ optimè quadrare ſcio, quod illi qui ejuſdem culpæ ſunt rei, pares in reatu cruciatus ſuſtinerent. Sed prudentiæ Status viſum fuit, ut multa velut incognita manerent occluſa; non ut impunè tranſirent, ut apertiùs verò ſe oſtenderent; alióſque Proditores ſub nube latentes in apricam lucem proferrent. Deferre, magis eſt inferre. Judicia ſi dormiant, mori nequeunt: alacriùs ſurgent, quò altiorem inierunt ſomnum. Hoc expertum habituri ſunt iſti ſericei, & ſuperbi Perduelles, qui oculis hominum adhuc licèt lateant; emergent eorum ſcelera, & abducto velo nudos Tribunali nocentes afferent.

1. *Civ.* Nullos unquam credo ſiccioribus fore oculis comitatos ad mortem; tam ſaturæ fuerunt manus eorum ſanguine, tam gravitèr inuſtæ clade & proditione.

2. *Civ.* Unum tamen, & unicum intimæ compaſsionis dignum ſentio, *Porcium* nimirum; civilis erat hoſtis, & urbanus; ſuis charus nec alienis minùs benignus.

1. *Civ.*

1. *Civ.* Multa in illius gratiam probata ſæpiſsimè audivi: Eumque *Porcium* acquiſiviſſe, vel ſpem acquirendi habuiſſe.

Unde tunc acciderit quod in tale præcipitium recideret?

2. *Civ.* Quædam verba inconſultò protuliſſe dicitur de proditione ſubolentia, quæ in periculum vitæ eum reduxerunt. Neminem tacendo, quamplurimos loquendo periiſſe novimus.

Scena Secunda.

Intrant *Sequeſtratore triſti & depreſſo vultu Theatrum tranſeuntes.*

1. *Civ.* QUinam illi, qui tam deplorato geſtu ambiunt?

2. *Civ.* Fæces regni; Homines, Lemures rectiùs dicerem, qui authoritate Tyranni deprædari nôrunt. Per fas nefaſque in ædes proruerunt noſtras. Diripuerunt opes. Nudas reliquere familias. Diruere relictas. Irriſere Orphanos indigentes; viduas lachrymantes; clamoribus æthera pulſantes: opem inaniter poſtulantes. In uno quo complectar om-

omnia, isti fuere Prædones secundùm *novum Modulum* lucrantes horas studiosè expendentes, quicquid sub unguibus ceciderit avidè ut proprium arripuerunt.

1. *Civ.* Meherculè tales peculatores præ cæteris meruere furcam. Qui securè peccant, & absque periculo vitæ rapinas perpetrant, detecti semel gravissimas subirent pœnas. Noxa quo occultior, si detegatur, eæ succederet Censura gravior. Latentia Crimina maximè punienda.

2. *Civ.* Non Dubitandum est quin isti nefarii Latrones ut teterrima Colluvies Gentis æquè demerita paterentur supplicia cum his qui hoc die adjudicandi sunt. Latentes sunt Proditores, & *fortunas* non solùm, quas aliis extorserunt, *fidelibus* Regni *Subditis* de jure redderent, sed *vitas* etiam quas perfidè, & sceleratè contra Normam Justitiæ transigerunt.

1. *Civ.* Observemus gestus eorum intentius. *

1. *Sequest.* Actum est de nobis, & Familiis nostris.

2. *Seq.* Sicut alios perdidimus, Cardine verso, in hoc præcipitium meritò tendimus.

1. *Civ.* Ita pereant, qui Principi non parent.

* *Perambulantes* Sequest. *gestus observant.*

2. *Civ.*

2. *Civ.* Intimè eos dolet vel pudet talia perpetrasse.

[*Exeunt* Sequest. *anxio gestu pectora percutientes.*

1. *Civ.* Doleant certè si pudorem vitæ retineant. Quin dolor, ni fallar, ab impuro fonte oritur. Dolent quod plura & graviora non perpetrent; dolent quia substantiam aliorum alveariis depromptam impunè non possideant, præcipuè verò in amittendo, quod injustè tenuerunt.

2. *Civ.* Hac phreneticâ rabie si diutius laborent, antequam *Mediæ æstatis* lux apparuerit (sæviente *Cane*) *Bedlamitæ* fient.

1. *Civ.* Meliùs cum illis erit si insaniant: miseriam eam in quam inciderint minùs Sentient. Hoccine die denuncianda est Sententia?

2. *Civ.* Ita aiunt; & appropinquat hora (ni horologium meum erret) ad quam Prorogata fuit *Sessio*. Et à strepitu populi undique confluentis colligo *Comitiales Consules* esse venientes.

1. *Civ.* Eò pergamus, si negotiis tuis competat; magnoperè cupio gestus Proditorum observare: & quo vultu Judicis sententiam sunt accepturi.

2. *Civ.* Esto; Consularem Sedem comitemur unà.

Scena Tertia.

Intrant *Pontanus*, *Palmarius*, *Chryſologus*, *Furaſtes*, *Albiturnerus*, Regale Conſilium, Officiarii Curiæ.

Præco. QUàm oneroſa, & indiſpoſita turba ſedes primarias occupat! Cedite & locum date Judicibus.

Cler. Mandetur Silentium. — Quos primùm acciri placuit Dominationi veſtræ?

Pont. In ordine progrediendum eſt. Illi à Juratoribus *rei*, vel *liberi* ſunt inveniendi, qui primùm erant vocati, & à nobis, ut legibus optimè convenit, ordinatim judicandi.

Cler. Adferatur *Hæreſius*. Tende manum *Hæreſie*.

Aſpicite Captivum Juratores; Conveniſtisne de verdicta?

Fur. Maximè.

Cler. Quis pro vobis locuturus eſt?

Fur. Præſtes.

Cler. Quid dicitis de *Hæreſio*? Reum redditis vel non?

Fur. Reum.

Cler.

Cler. Captivo intende Janitor. Quæ Bona possederit?

Fur. Nulla nobis nota.

Pont. Conditionem tuam oportet te respicere *Hæresie*; Reum te invenerunt Juratores horridi Criminis. Interea, quod minùs quàm mirari non potui, duritiem naturæ tuæ tam rigidam, & *Regicidii* insensibilem percepi, ut actionem potiùs approbare quàm teipsum redarguere videaris. Erubesce tandem, & in lachrymas te resolve. Grandia crimina grandia desiderant lamenta. Paululum temporis tibi relictum est; expendatur residuum in anxiæ mentis tali sub mole languentis, & laborantis, Solamen, & refrigerium. Omnes suæ horæ valdè pretiosæ, tuæ verò præcipuè, quæ citò numerandæ. Emollitum cor tibi optem, integrum & pacificum. Appropinquat pœna, comitetur pœnitentia: si Sera, sit Seria.

Cler. Proferatur *Chareſtes*. Leva manum *Chareſtes*. Attendite Captivum Juratores. Conveniſtíſne omnes?

Fur. Maximè.

Cler. Quem volueritis pro vobis loqui?

Fur. Præſtitem.

Cler. *Chareſtem* redditis reum vel non?

Præſt. Reum.

Cler. Janitor incumbe officio; inter-

de Captivo. Quæ Bona poſſederit?

Fur. Nulla quæ novimus.

Pont. Opportunum tempus tibi offertur, *Chareſtes*, ingratitudinem recognoſcendi tuam. Multum à te promeritus eſt Princeps; & nihil omnino tantæ munificentiæ porrectiore manu exhibitæ reddidiſti præter amarulentos fructus perfidiæ. Candidum, & cordatum habuiſti *Fratrem*; quem in Exemplum probitatis & fidelitatis meritò tibi proponere potuiſſes: illud vero *Speculum* virilis conſtantiæ perfidè ſpreviſti, perditè neglexiſti. Ille pro Rege, Tu contra Regem paſſurus es. Ille Martyrio laureatus, Tu graviore ſtigmate notatus infamiæ Sceleratiſsimo nomine omni morte pejore inuſtus. Lachrymæ unicæ ſunt medicamina interiori malo, exteriori pœnæ nulla.

Cler. Conveniſtiſne Juratores de Verdicta?

Fur. Maximè.

Cler. Quem volueritis pro vobis loqui?

Fur. Præſtitem.

Cler. Aſpicite Captivum; tende Manum CLEMENTIE.

Reum inveniſtis vel non?

Præſt. Reum.

Cler. Quæ Bona Poſſederit?

Fur. Nulla nobis cognita.

Pont. Quàm diſpar fuit Nomen *Clementiæ*

Naturæ tuæ! Ad machinandum Principis in teritum nemo reperiri potuit promptior, ne parator; in exercitiis piæ devotionis nem intentior sit, nec assuetior.

Perpaucæ sunt horæ tibi concessæ, cum ar nis Clepsydræ singultim sunt numeranda In Cœlis unicè spes tua sit reposita, in terris nulla.

Cler. Proferatur CALIDONIUS.

Fanit. De Custodia nostra diutiùs liberan fuit.

Pont. At Libertatem adhuc non acquisiv In Calidoniâ Proditorem se gessit, fidelis mum *Subditum* (qui in Regis & Regni salute omnibus periculis sese alacritèr exposuit) pe fidè tradidit; Sed turpissimæ vitæ suæ me rita reservatur pœna. Nulla ei promitten est Securitas, cujus Capiti paratur Securis, ici tali monstro ignominiosa magis pœna de ju infligenda esset. Sed natalis Soli judicio s linquitur.

Mirandum est si sententiam mortis evadere quando nec *Causam* cui nitatur, nec *Amicu* à quo sustentetur, secum retinuit.

Cler. Adducantur MAGIRIS, & PE TRONIUS Sacrificulus.

Contuemini Captivos.

Consil. Humilitèr obsecramus, ut isti mi

judicentur ſicut abuſus Regni & Eccleſiæ ſo-
mitem tererimam ab iis hauſerunt. Fratres
fuerunt in malo, Conſortes ſint in ſup-
plicio. In Roſtris æquè ac Comitiis ſævie-
runt illi.

Pont. Fiat; judicentur unà. Optimè mo-
nuiſtis. Religionis & Politici Regiminis
maximi erant Violatores; junctìm pares ſubi-
turi ſint ſententias. [Progredere.

Cler. Conveniſtiſne de Verdicta?

Jur. Maximè.

Cler. Quem pro vobis locuturum ſtatuiſtis?

Jur. Præſtitem.

Cler. *Magirem* proditionis hujus de quâ in-
dictatus eſt, reum redditis vel non?

Præſt. Reum.

Cler. Janitor intende Captivo.

Quam rationem reddituri eſtis de *Patronio*?
Horrendæ hujus Proditionis reum redditis,
vel non inveniſtis?

Præſt. Reum.

Pet. Eheu! Ad pulchrum Forum porcos
deduxi.

—*Vergit in occaſum virtus, & omnia.*

Pont. Parvum de virtute ſine rubore lo-
qui queas. Tali Crimini nulla admittenda
ſunt pallia. Profeſsio tua integriorem te red-
deret quàm retulit. Inteſtinis conflagrationi-

bus, & incendiis veſtris flebilem hujus Inſulæ faciem, ſi ſuperior poteſtas non interfuiſſet, *Niobis* vultu triſtiorem feciſſetis; imò totam hanc Fabricam, quâ nihil pulchrius, nec gratiore regimine ſpecioſius, in pulverem redigiſſetis.

Profeſſores vos Pacis vanè oſtentaſtis, interea neque paci Eccleſiæ nec Reipublicæ pe conſuliſtis; ut in uno utriſque loquar: Primùm, quantum ad te ſpectat, *Magiris*, dolore æquè ac pudore afficior; quo vultu, quo ſenſu forenſibus ſtudiis (in Quorum progreſſu te multùm profeciſſe ingenuè fateor) tantum olei, & operæ impendere potuiſti, & in exitu eorum Principis necem, Patriæ ruinam, & tibi ipſi perniciem ſtudioſè moliri. O infælix ſcientia, quæ ſcientem conditionis ſuæ expertem reddit! Cognitio quæ tendit ad nocumentum agentis, peſsima: & in Cauſidici officis fungendo tales nefarios protuliſti fructus, graves omnibus, meſſori acerbiſsimos. Te dolere, *Petronie*, qui in publicis Roſtris toties docuiſti, arrogantiam fortaſſe diceres. Sed modeſtè tecum agam: & molliore manu vulnus tractare Statu, ne ſub manu languidè deficias, deficiendo pereas.

Pet. Utinam de *nova Anglia* nunquam receſsiſſem.

Pet.

Pont. Ista optio serò nimis redit. Præsenti Conditioni altior attentio, aptior medicina adhibenda est. A Regione illa ad nostrum te reduxit *novitas*.

Pet. Nequaquam; sed *aviditas*. A qua prurigine cogitare cæpi, quod in *itinere* sæpissimè audivi: "Quomodo nusquam domina-"tur avaritia gravius quàm in Ecclesia.

Pont. Nunc convertenda est ea avaritia Theologo tam indigna, in illum *Thesaurum*, de quo frequentiùs legisti, & tuis prædicasti; cui si te paraveris ut oportet, de *Nova Anglia* ad Novam *Hierosolymam* reverteris; in quâ de Captivo Liber efficieris.

Pet. Multi multa loquuntur de *Terra Florida*, & *Civitate Nova*; Ego autem, si mihi concessum esset morari, mallem in *Nova Troja*.

Pont. In ea commorandi nè minima tibi specula relicta manet.

Longum vale dicturus es *Trojæ*, & toto Mundo, à quo talem contraxisti immundicem.

[Progredere.

Cler. Proferantur *Porcio*, & *Jonius* ad Pergulam.

Tende manum *Porcio*. Aspicite Captivum Juratores; Reum Proditionis hujus redditis, vel non reum?

Præst. Reum.

Cler. Intende Captivo Janitor.

Quomodo inveniſtis *Fonium* ejuſdem ſceleris detectum, & detentum? ſuſpicite & verdictam reddite.

Præſt. Reum.

Pont. Verbis æquè ac geſtis gravitatem Criminis auxiſti, *Porcio:* Hoc modo clementiam in vitæ gratiam benigniùs intentam abuſam feciſti; & ab ore venenum latens in corde manifeſtiùs aperire non erubuiſti.

Quo ad te *Fonie* refert, in uno complectar omnia; Sicut nemo in hac ſceleratiſſimi Actione ſolertior fuit, nec argutior: ita nemo ex dolore cordis intimo profuſior eſſe debuit in lachrymis.

Cler. Accerſiantur *Foſſorius*, & *Axellus.*

Leva manum *Foſſorie.* Quid dicitis ergo Captivum;

Reum inveniſtis vel non?

Præſt. Reum.

Pont. In hoc reatu tuo, *Foſſorie*, unum in memoriam tuam revocare; conditioni tuæ perutile fuerit. Meminiſti proculdubiò te per *Saltum* Sct. *Jacobi* duxiſſe Regem uſque ad Theatrum, in quo Regale Caput ſuum fatali Securi (ô facinus exemplo carens!) ſubjecit. Ea ipſa manus quæ Principem ad theatralem mortem deduxit, pectus indeſinenter percutiat,

cutiat. Parum tibi esset si temporis residuum (quod perexiguum est) in assiduo Pœnitentiæ exercitio impensum foret, modò tanti Criminis inustam maculam deflendo delere poteris.

Foss. Magnoperè mœreo, quia satis mœrere nequeo. Vitam imò meam tam parvi æstimo, ut si mihi concessum foret longius vivendi filum, integrè extensum esset in perfidiam deplangendo meam; Hoc mihi proposui, nec à proposito deciderem, si diutiùs viverem. Omnes horas aliò expensas penitùs amissas crederem.

Pont. Huic instituto si firmitèr inhæreas, mirificè te relevet in Exitu, & sereniore vesperâ nubilam claudet diem.

Cler. Adducatur *Axellius*.

Conspicite Captivum Juratores. Quàm Verdictam redditis de *Axellio*? Reus est hujus *Regicidii* de quo indictatus est vel non?

Præst. Reus.

Cler. Incumbe officio, intende Captivo Janitor.

Pont. Permulta gravia adversus te *Axellio* prolata sunt, & probata. Pacem inire cum Deo tua sit provincia. Nullum omittatur tempus paciscendi, quando perpaucæ sunt horæ quæ tibi concessæ sunt nobiscum commo-

randi. Spes tibi ſit mutandi Carcerem cum Palatio, modò Pœnitentiam agas, ut te deceat, reſidendo in Carcere.

Cler. Producatur *Rabæo.*

Chryſ. Rabies Gentis. Cujus fuit nequiſsimo *perjurio* ſuo Prudentiſsimi Conſulis vitam adimere.

☞ *Pont.* Dimittatur. In remotiorem Inſulam tranſvehendus eſt; Priuſquam tamen a noſtris finibus diſceſſerit, hiſce monitis piè adhibitis aurem applicet. "Noſti *Rabæ*, te "perfidiâ, & perjurio tuo graviſsimam "Reipub. attuliſſe perniciem. Axiomata quædam publicis mandaſti typis, Religioni, & ſocietati humanæ valdè diſſona; *Machiavellis* Politicis, ſi argutias eorum penſemus, ſubtiliora multò, & periculoſiora.

Incudem, licèt ab æthere ſecluſus, in cerebro adhuc retines, ad res novas moliendas paratiſsimam. A Proditoriis hiſce technis mentem ſubtrahe; Inimicum te honori tuo tene. Omnes per oras Regionis noſtræ fama tua, quâ nulla palato faſtidioſior ſapuit vel ſonuit, latiùs divolavit, & te omnium peſsimum publicâ voce narravit. Haud neceſſe fuerit tua refricare vulnera: intus vermem alis qui te corrodet, ni ſtimulum intimo, & ſalutari dolore retorqueas. Adagium redde irritum, cum *Ca-*

lo oportebit te mutare *Animum.* Alia te ſuſceptura eſt Inſula; nova te redintegret conditio; ut ſi redire tibi contigerit, reditus tuus te meliorem comprobet. Para te pœnæ, patiendo palmæ.

Cler. Evocetur *Penetius.*

Jan. Nullam vocem audiet. E cuſtodiâ noſtrâ exceſsit.

Cler. Quâ Auctoritate?

Jan. Sententiâ Mortis.

Conſil. Impunè exeat; præmaturâ morte ignominioſum finem prævenerit.

Pont. Recenſeantur ſingultìm reſidua eorum Nomina quæ in Catalogo veſtro complexa ſunt.

Cler. SICARIUS, CREMANTIO, ARGASIO, MURATUS, & SILVIFLUUS reos ſe Confitentes.

Pont. Quorum Judicia licet nobis ſint deſignata, Executionis Tempora alio in Foro ſunt definienda.

Conſil. Mandetur ſilentium.

Pont. Attentionem præbete, obſecro, judiciali huic, & ultimæ ſententiæ quam unquam à me audituri eſtis. Conſcios vos reddiderunt Cordati iſti Juratores, talis & tam immanis ſceleris, ut gravitatem ejus mirari faciliùs eſſet quàm exprimere. Imò ingenuè fateor dum recolo

recolo horreo — *Vox faucibus haret.* —*Taciturnum fecerit horror.* Mira Ei concederetur Loquendi facilitas & plusquàm Stoica durities, qui vividis coloribus facinoris illius faciem depingeret, & se totum in lachrymas resolutum non permitteret. Talem enim, & tam prodigiosam Conspirationem Gens nulla unquam peperit. Gens bona, mens mala. Optimæ gentes pessimas plerúnque mentes lactârunt. Hoc satis experti sumus ab intestinis direptionibus eis quas manus vestræ exhaustis finibus Patriæ intulerunt.

In Quem tandem surrexistis? Cui violentiam inflixistis? Cujus sanguinem immaniter effudistis? —*Hinc stupor exanimem fecit inquamque silentem!*

—*Contrahit Artus tremebundus horror.*
" *Celare scelus genialis pudor*
" *Cogit, & renuit nefanda fari.*

Quem, inquam, occidistis? Cui sanguinolentas manus intulistis? ILLI nempe qui fuit *Caput Reipublicæ, Salus Populi.* Qui non habuit *Majorem*; non habuit *Parem*; Cujus deplorabili Exitu, desolatam reliquistis Patriam, utì Prolem sine Parente, Gregem sine Pastore, Navem sine Clavi, Urbem sine Custode, Subditum sine Rege.

Dissimili tamen gradu vos sceleris hujus Con-

Conſcios fuiſſe collegimus. Quamvis Illi qui infimâ Claſſe recenſendi ſunt, meritò habeantur rei de *tanto*, licèt non de *toto*. Studioſo conatu omnes vos Principem ad Stipitem traxiſtis, licèt Caput illius non amputaſtis. Omnes unanimitèr agentes in illius Finem, licèt unus inſtar omnium exercuit Securem. A Multis agitatur, ab uno perpetratur. Quò Plura? Audivi Pleroſque veſtrûm liberè, & generoſè fuiſſe educatos. Et magnoperè dolendum eſt tot, & tam ſpecioſis germinibus exitialem iſtam influentiam irreparabili more imminentem contueri.

Mittantur verò iſta. Nunc lachrymis, & ſuſpiriis unicè locus datur. A Cœlo ſperetis indulgentiam, in Mundo nullam. "Qui non vetat peccare cum poteſt, jubet. Quid tunc dicendum eſt de iis, qui tantoperè fuerunt alieni à ſcelere vetando, ut ſe omni nequitiæ expoſuerunt, foveam perpetrandi malum aliis retexendo?

Nullum perniciosius odium eſt, quàm violati Beneficii pudere. Sed — mollire juvat vulnera, non fricare. Quò fata vobis ſunt propinquiora, vota ſint Superis ferventiora. "Nulla Mors repentina benè morienti. Iſta diſſolutio communis eſt conditio: nec mori mirandum eſt magis quàm naſc. A Solio

nec

nec à Dolio admittenda eſt Exemptio. Omnes una manet hora. Omnes una calcanda eſt via. Pauperum humiliores ædes, Regumque ſublimiores Sedes aggreſsibus mortis æquè ſunt ſubditæ: importunus eſt Hoſpes, non repelletur. ——Sunt Juveni inſidiis Fata, ſeniqæ Foris.

Nec divitiæ à morte, nec deliciæ de fætore, nec honores de Sepulchro liberant. Ultima urna optima, modò Optimi, quibus urna obtigit.

At nunc arctiùs contrahenda ſunt vela; eò pergentes quò illibentèr accincti ſumus; ſententiam mortis nimirum vobis denunciandi: quam veſtrûm erit patientèr ſubire; noſtrûm humanitèr promulgare.

Revertemini ad locum quo veniſtis, & ab eo trahemini ad locum Executionis; ubi jugulo eritis ſuſpenſi, & ſemivivi pudenda habebitis præſciſſa, illia flammis mandata, Capita obtruncata, Corpora in quatuor partes diviſa; Quæ Capita & partes ad placitum Regiæ Majeſtatis ſunt diſponenda. Et Animarum veſtrarum miſereatur Deus.

Cler. Clametur Silentium, Dimittantur Juratores, Diſſolvatur Seſsio.

Scena

Scena Quarta.

Intrant *Crispina* & *Gualterus*.

Crisp. Gualtere, Gualtere.

Gual. Quid vult nobilissima Hera mea?

Crisp. Verum dicis, licèt nescias, mi *Gualtere*.

De nobili enim Aulico fui prognata, quamvis in opinione Vulgi Sutoris Filia. Hoc sæpissimè narravit mihi Mater mea. Jussit me igitur, & jussis obsequium præbui, ut Sororibus meis præirem, quia à nobiliore Patre fuissem genita. Nec improbabile est me ab Aulicâ Sirpe processisse; Quamplurimos enim Aulicos mores, & prurientes motus sentio, quos à Sutoris Crepida nunquam venisse, nec de pollice illius cereo suboluisse credo. "Commorari domi valdè fastidiosum est. Con-"viviis interesse, Theatrales ludos invisere, "splendidis vestibus ad *modum* temporis pro-"dire, & Platonicos in sinu fovere summa mea "voluptas est. —— Sed ad negotium.

Gual. Quo perrectura es, mi Hera; num ad Executionem?

Crisp.

Criſp. Rem tetigiſti mi *Gualtere*: *Executionem* enim *Judicio* ſemper præpoſui. Conſilio meo te Primipolum officinæ ſuæ fecit Herus tuus. Familiarius me ſemper tecum geſsi quàm cum cæteris. Strenuum enim Juvenem te novi & probavi. Altius vero penſum hodie imponendum eſt tibi; in quo ut me amas, ne deficias.

Gualt. Nemo mandatis ruis erit obſiquentior.

Criſp. Age mi *Gualtere*; Primùm tene *Muffam* meam, & *Miſſetam* tenere, tenerè, mi *Juvencule*, ut me amas.

Qui Dominam, Catulum mulcet & ipſe ſum.

Magna erit turba; & quomodo *mecum* eſt adhuc neſcio. Premi in turba non cupio: Deprimi tamen timeo ni me ſuſtentes. Præ omnibus verò *Stationeus* mihi accomodatiorem mercare, quo morientes meliùs proſpiciam; & Confeſsiones eorum diſtinctiùs audiam. Minima mihi eſt cura quanti conſtabit. Quo *carius*, eo nobis *charius*. Sponſus licèt Scrineum, Sponſa retinuit nummum.

Gualt. Tali Clave optimè nobis aperientur Sedes. —— Fiet ut volueris Speciociſsima Hera.

Criſp. Species mea nunquam erit dehinc tibi ignota, ſi hoc præſtiteris. — Sed præ omnibus

bus firma, & conſtans ſit mea Statio. Brevem, & debilem intimè horreo. [*Exeunt.*

Scena Quinta.

Intrant *Civici*, & *Ruſtici per Theatrum huc & illuc diſcurrentes: & ad Executionis locum gregatim properantes.*

IN hac Scena Patibulum erigitur; Proditores Singultim præſentantur; faſces, pyræ, fumantes lebetes, aliaque Utenſilia Carnificis miniſterio accommodatiora. Quæ omnia in terrorem meritò patientûm vivis coloribus ſunt depingenda, depicta Poſteris præcavenda.

Civi. PRoperantiùs curſum acceleremus Vicini, ni Proditores laqueo mandentur priuſquam accedamus.

[*Exeunt.*

Scena

Scena Sexta.

In hac Scena Funebri velo, theatrali Stragulâ & Tragico Cothurno cooptata, Effigie Capri decoratâ, erigitur Patibulum Ebeni foliis, Romano more, circum ſtratum. Theatrum affabrè ſtructum, Patibulo contiguum, Spectantium oculis accommodatè ſitum; focis & faculis juxta Stipitem accenſis.

In Proſcænio vividè depinguntur, & artificioſè adumbrantur Executionis modus, motus & metus hac Inſcriptione; Nos Sceleris Socii.

——ASCENDUNT SCALÆ, RESTESQUE SEQUUNTUR.

Chorus Britannicus.

O *Quàm grata dies illuxit Miſeris!*
Aulicis ſplendida, Speciosa Civibus!
Agricolis lata, terram colentibus!
Non ſum quæ fueram, *cantat* Britannia;
In ſuâ Princeps dominatur Curiâ;

Ut

In Comicas Scenas verſa eſt Tragœdia,
Nox dies eminet; Nubes effugiunt,
Heroes pulſi finibus redeunt
Pace fruentes portas aperiunt,
Quæ prius patulæ fuerunt hoſtibus
Tinctæ Cruore, rapinis, cladibus,
Hoſpitium præbent gratum Pauperibus.
Spectate Incolæ quàm claro lumine
Refulſit Inſula protecta Numine,
Quàm pulchro Regio ſerenatur æthere!
Cuncta tranquillâ reguntur manu,
Cuncta regali renovantur ſtatu,
Et tutiore collocanda ſitu.
Aſtræa tenet ſedem Juſtitiæ,
Actores cenſens Gentis nequitiæ,
Sub ortu Solis ſolæ deliciæ.
Pax alma floret, lætantur paſcua
Fulta graminibus; ſpatiuntur pecora
Leniore gradu repetendo flumina.
Depulſâ Nube crevit Scientia,
Regis, & Regni Dux Sapientiâ
Belli Civilis languet dementia.
Ingenuæ Prolis ſit Academia
Fœcunda Parens artibus inclyta,
Prima virtutum ſpargendo ſemina.
Alluit oras Fons Ariſtotelis,
Inſtruit mentes vena Platonis,
Præmium Pacis Palma laboris.

Beata Omnia ! Grata ſunt omnia !
Heroi dum marmore ſcripta ſunt Nomina.
Vexillo Principis integrè ſubdita.
De novo anno *innovantur mores ;*
Aſcendunt Scalas nunc Proditores,
Acquirunt Fidi Regis honores.
Mutata eſt Scena ; faciémque novam
Induunt Gentes. O quam citò gradum
Lubricum Fata poſuere ſuum !
Quis tam ſublimes cogitaret viros
In imum preſſos, Laqueiſque datos,
Tam variis ventis agitatur Rates ?
Quis dominantem Sede tyrannidis
Suſpicit trabeis cinctum purpureis,
Comitatu pulchro Stipatum, muniis
Dotatum regiis, & non miretur
Quo Fato Talis deprimeretur,
Ut vi Carnificis emoreretur !
Nec res miranda eſt minùs videre
Afflictos humi miſerè jacere
Et oculi nutu ſumma tenere.
" Quem dies veniens viderit ſuperbum,
" Hunc dies fugiens videat jacentem.
Quemque lux fugiens viderit repentem,
Hunc lux reſurgens videat regentem.

Regis, & Regni floreſcat gloria,
Dulçi Melodia claudatur Chorea.

Scena

Scena Septima.

Intrat *Dunnæus* cantans, cum *Pimpinellâ* nitidè amictâ.

Dunnæi lucrum Proditoris pœna,
Diſtenta ſonat Chin'k Chin'k *Crumena.*
Terra Tiburni *valdè fœcunda,*
Veſte nitidulâ, voce jucundâ.
Hinc Creditores gratulari ſolent
Dunnæum *loculis divitémque colent.*

Intrat Papilla Dunnæi *Famula.*

Papill. Eheu! magna Turba Creditorum, ut puto, in portam præſtolantur noſtram, pulſantes turbulento, & furioſo more, ac ſi Ebrii aut Dementes eſſent.

Dun. O furentes fures, quid acturi ſunt?

Papill. Domum, valdè vereor, ne diruant, ſi minùs intrent.

Dun. Intrent, *Papilla*, intrent. — In utrúmque paratum me invenient. Ego non ſum ego, & talem me reperient. [Exit *Papill.*

Pimp. Aſcende Scabellum, mi *Dunnæe*, &

indignantèr te gere erga petulantem hanc gregem. —— Hoc pacto illis incutias formidinem, nobis ſecuritatem acquiras.

[Aſcendit Scabellum.

Scena Octava.

Intrant *Caupones, aliique Artifices* Dunnæi *Creditores.*

Dun. IN me turbaruunt. — O ſi mihi liceret ſuper has ſtercutias Aſſeclas meam exercere artem ! Quàm agilitèr nodum cervicibus eorum coaptarem !

1. *Cred.* Benè ſit ſemper cum *Dunnæo.*

2. Longa vita ſit *Dunnæo.*

3. Vivat, valeat, vigeat, floreat *Dunnæus.*

4. De proſperitate *Dunnæi* gratulemur omnes.

Dun. Hem, hem, Ranam ſuboleo. — Quantum mutantur ab illis !

Heri me ſpreverunt, hodie colunt. — Sed dominari me decet ut *Tiburni* Domino convenit. —— Dominum cognoſcite veſtrum, impudentiſsimi Nebulones. — Non ſum qui fueram. Ite foris infernales Canes. — Nonne memi-

niſtis

hiſtis quàm inſolentèr mecum egiſtis? Quot injurias *mihi*, & *Pimpinellæ* meæ intuliſtis? Quomodo æra, & ſuppellectilia mea ſuffurendo nequiſimè ſurripuiſtis? —Procul hinc, procul ite nefandi. Scite, ſcelerati, quod ille non ſum *Dunnæus*, qui fui *Dunnæus*.

Pimp. Nec ego eadem *Pimpinella* quæ fui *Pimpinella*.

Cred. Ignoſce ignorantiæ noſtræ, Candidiſsime *Dunnæe*, fortunam tuam *peræ grè* novimus.

Dun. Et Fortuna mea perægrè vos agnoſcet.

1. *Cred.* Paniſex erit obſequio tuo paratiſſimus.

2. Potiſex deditiſsimus.

Omnes. Omnes obſervantiæ veſtræ ſtudioſiſsimi.

Dun. Quam placidè garriunt iſti Hirundines circa fortunas noſtras, ac ſi laqueus meus omni menſe in aurum verteretur & nunquam deficeret? Omne autem non eſt aurum quod aſſimilatur auro. Pediſequis hiſce Proventus mei Credulis perutile mihi fuerit acquieſcere, tali ſub pacto, ut ſi res mea proſperè minùs ſuccedat, Exitus, qui omnia probat, ſibi-ipſis licèt noceat, mihi proſit. —Agite; cor meum non adeo durum eſt, ut ſubmiſsione veſtrâ non aliquantulum emolliatur. Iſta licèt tempora fe-

cerunt me divitem, mores non mutabunt meos. Admit tam vos in Socios, & Creditores, modò neceſſaria Familiæ meæ ſine clamore (nil enim eo auribus meis faſtidioſius) ſuppeditetis.

Omnes. Paratos nos invenies ad ſuppeditandum omnia abſque clamore.

Dun. Tunc abſque timore me conſtantiſſimum inven etis Creditorem.——Valete, & vivite.

[Exeunt *Creditores.*

Hah-hah-hah—Sic me Tiburnum nuperimè ſecurum fecit Debitorem, & pro termino vitæ me talem reperient.—Gratulare *Pimpinella*; totâ hac nocte calicibus indulſuri ſumus liberè.—Chinck, Chinck, Chink.

Dum loculus *ſonat*, *omnia* Pincerna *dona*,
Menſem Pandora *coronat.*

Scena Nona.

Intrant *Gazetta.*

Gaz. NOva, nova; nuperrimè edita Nova!

Dun. Quæ Nova, mi *Gazetta*?

Gaz. Ab omni orâ tua profluunt, & confluunt lucra.

Dun. Dii boni! Imperatore ditior ergo, ſi iſta

ista prosperè succedant; ut me videam?

Gaz. Noli me tangere veritatem si amas, * emas.

Dun. Inanem non dimittam.

Gaz. Accipe *Pasquillam*; quam si legeris, planè fateberis te nunquam majorem spem à leviore pretio hausisse. [Exit *Gazetta.*

Dun. A primis puerilibus literis quibus initiatus sui, & perægrè ulteriùs dedici, nempe A, B, C. nil unquam legi quod mihi magis placuit. * A primo ingressu mihi obviam veniunt *Milo Corbet* illa Cathedralis Pestis; *Johannes Barkstead* Turris ille Præfectus; & *Fredericus Okey* Pugil ille nefarius; Qui summâ sedulitate, solertiâ, & industriâ *Georgii Douning* in *Hollandia* improvisò fuerunt deprehensi, & ad Turrem missi; ubi ut Proditores manent; sed non diu ut spero, donec actione *Removendi Corpora* manibus tradentur meis. Sed perge, & perlege, si vales, quomodo se in hac Captione gesserunt. — Hah-hah-hah. Primum invenio *Okeium* ut militem se gerentem, strenuè sed insipidè resistentem, & ictu oculi citius subactum. *Barkstеadum* verò, ut semper fuit, pusillanimem reperio; non citiùs captus quàm percussit pectus, Puerilitèr clamandò, *Homo*

* Legit Diurnale.

* *Necesse est facere Sumptum, qui quærit lucrum.* Plaut.

ſum perditus. At repentinus terror effectus ſuos graviùs exercuit in *Corbeto.* Nam *phyſicas pillulas*, quas de manè cepiſſet, ut aſſeruit, ſupra & infra gravitèr operantes ſenſit. Sed fortiorem me Phyſicam ſibi, ſociiſque ſuis confecturum non dubito, ni laqueus me fallat. ——Hah-hah-hah. —Sic alii dum *Aulicos* quæſitant *locos*, *Tiburni* laqueus noſtros replebit *loculos.* O *Pimpinella*, *Pimpinella*, mi dulcimella *Pimpinella*, eamus, bibamus, gaudeamus. —— *Chink*, *Chink*, *Chink.*

[*Exeunt.*

Scena Decima.

Intrat *Omphalia*, *Hæreſii Vidua.*

Omph. DEfuncti vota Conjugis diligentèr præſtiti, ultima morientis juſſa complevi; at me fefellit Conjux meus. Dixit enim & facilè credidi, ſe laqueo vitam finiturum non poſſe: Sin oculis ſpectantium haberetur mortuus, & in varias partes ſruſtatim diſſectus, defunctum minimè tenerem; hiſce verbis in Carcere adjunctis; (quæ ut fuerunt ultima, à me conſtantius ſunt memoranda:) "Ne te doleat mi *Omphalia* me ſubiviſſe ſen-

"ten-

"tentiam mortis; certiſsimè novi me non "poſſe mori; nec in Poteſtate Carnificis eſt, "licèt acutiſsima Securi uteretur, caput mihi "adimere; adhuc vivam, & vincam in *Pha-* "*naticorum* honorem qui de viribus meis pen- "dent. Nec mihi minùs revelatum fuit ab "eo tempore in quo lethalem accepi ſententi- "am. Quo certiorem te igitur faciam redi- "tus, & redivivæ meæ conditionis; tali nocte "me expecta; Proximos invita; Optima Ci- "baria nobis para; Nocte enim eâ (abſit quod "dubites) me gratiſsimum tibi Hoſpitem ſuſ- "cipies. Et nunc Nox ea ſupervenerit, at ſponſus moras texit, & nondum venit; valdè vereor, ſi *deſcenderit*, ſe nimium de *Lethi* ebi- biſſe, alitèr fidem integram ſervaret: nunquam enim memini per omnes annos Connubii no- ſtri, promiſſum ſe unquam mecum violaſſe. —Eheu! Exivit & non redibit. —Parantur omnia; ſed quò fercula ad Conjugis funera? —Iſtæ ſunt epulæ lachrymis ſociæ. —Quis *mea dignè deflere poteſt mala?*

Scena Ultima.

Intrat *Convivales Hoſpites* Omphaliam *lepidè conſolantes.*

1. *Mul.* QUid perdis tempora luctu?

2. *Mul.* Siccentur oculi; abſtergeantur lachrymæ.

3. A Vivis non mortuis vivendum eſt, *Omphalia.*

4. *Mul.* Cantans —

Emortui viri Sprevitamores
Juvenilis Conjux ſpatiando foris,
Et ſpecioſis ſaliendo Choris
Priſcos novellis variando toris.

5. *Mul.* Cant. *Sponſa lætatur viduali Spondâ,*
De Sponda novâ gratulando ſponſa.
Funera ſiccis comitatur genis
Vidua, nuptias ſubolendo novas.

1. *Mul.* Te Sponſus reliquit tuus, illius relinque curam.

2. *Mul.* Vivis, non mortuis parantur Epulæ.

3. *Mul.* Intremus, mi Soror, intremus. Dum Stomachus incaleſcit meus, frigeſcunt fercula.

4. *Mul.*

4. *Mul.* Transmeanti Stygem — vestigia nulla retrorsum.

5. *Mul.* Eamus, eamus; Conjugum funera poculis defleamus.

Omnes. Pergamus, pergamus; Uva *Falerni* vivida mille viduales delebit lachrymas.

Omph. Præite, sequar; quâ lachrymabilem magis Hospitem nulla unquam Mulier funereis se Epulis applicuit.

Talis defuncti Conjugis urit amor,
Constans ut Comes mente secesſit dolor.

[Exeunt *omnes.*

Vox de Nube.

Una si pereat quò floreat unitas
Grata refulsit Orbe serenitas.

EPILOGUS.

Audistis Misera Fata sed Merita
Egregii Cœtus, cujus perfidia
Conspicui Regis tincta Cruore
Longæva magis veloce tempore
Syracusæ *trucem vicit tyrannidem,*
Parthiæ *feras, furias* Eumendum:

Quis

Quis enim Princeps effulsit clarior,
Pietate gratior, subditis suavior?
Quis patientior habitu Laboris?
Quis studiosior extat honoris?
Quis Conjugalis thori fidus magis
Custos, vel Comes, dominando lenis?
At Sidus tanti radians imperii
Orbe surreptum manu nefarii,
Mutando regnum meliora tenet,
Cum Superis *præmia quibuscum manet.*
Quis in Cedratis *effigiem* Tabulis
Non conservaret Memoriam Principis?
Qui eò Morte præmaturâ periit,
Ingratis dignus qui nimis fuerit?
Hæc vobis tragicis aptavit modis
Arcadiæ *vates; nec expectat minùs*
Quàm vos abstersis lachrymarum genis,
Reddetis Palmas plausibus agiles,
Pensando Vatis theatralis Scenas,
Grata transacti Pensa laboris.

FINIS.

In Dramatis arte vigorem Scenæ penſemus: parùm refert an pauci an plures Scenam agant : nec Scenæ in Actis conſtantem numerum ſtrictiùs admittant.

Si Juvenes inventioni, Senes diſcuſsioni ſint accommodatiores, tunc Senes quàm Juvenes accuratiores cencendi ſunt Authores.

Juveniles aggreſſus quia repentes hederâ, Seniles progreſſus quia matureſcentes laureâ ſunt decorandi.

Illi *ingenio* pollent;
Iſti *Judicio* callent.
Illi in *Pullicie*; Iſti in *canicie* gaudent.

Caſſand.

BEDLAMUM NOVUM.

Scena BRITANNICA

BEDLAMUM NOVUM.

Pars Secunda.

SCÆNA, BRITANNIA.

Intrat Homannus *saltans*, & *Fumi-intubam sugens.*

Homan. IO! Gaudete Caupones, Lenones, Ardeliones. Exequias peregimus Carnificis peritissimi totius Europæ, Herī nempe mei *Dunnæi*, qui artis meæ non ignarus, communi civitatis assensu, nemine contradicente, me in Successorem ejus deputavit. Optimè enim novit *Tiburnensis* ille Artifex me ad unguem callere omnes *nodos* suspendii artem spectantes. Nil unquam *Diricko*, *Brandino*, vel *Dunnæo* nostro cognitum fuit, quod nobis latere potuit vel abscondi. Sin aliter *Gregorius* sensisset, nec *Officio* cui deputatus sum, nec ultensilius eis quæ mihi reliquit, dignum me tenuisset. At dolet me magnoperè *aurea* ea

meminiſſe *ſecula*, in quibus *Præceſſor* ille noſter claruit. Quot enim veſtes Sericatæ, ſplendidæ & ſpecioſæ ſub illius laqueo, nodo & expertiſsimâ arte pependerunt? Atteſtor *Angportam longam* ubi iſtæ veſtes erant venales, & officinis iis obſcænis multum lucri adferentes. Interea, quid commodi manibus meis occurret à ſuſpendio proditorum vel latronum in attritis veſtibus ad patibula publica confluentium? Permultos audio cenſendos; perpaucos pingues & opulentos. Tenuiores facilè capiuntur Muſcæ; Fortiores evadunt cenſuram pœnæ. Iſta verò nec ſecuritatem Regno, nec mihi fungenti officio emolumentum adferre valeant. Paupercula ſunt ſtipendia, indigentia vela, talem & tam exoſam Provinciam peragranti.— Intrat *Moriſco*.

Apage *Moriſco*! tempeſtivè rediiſti; *Gazettæ* noſtræ novitatis avidæ & extraneis negotiis immanitèr ſuffartæ multum de te expectant.— Narra amodò quo veniſti. *Moriſc.* Hiſce lutulentis Ocreis, ut vides, eas enim nondum exui, nuperrimè redii ab Aquilone. *Homan.* Euge; Omne malum ab Aquilone. Quid novi ea frigida proferat Regio? *Moriſc.* Permulta & memoratu digna; quæ ſi Annalibus noſtris eſſent mandata, *Gallo-Belgicas* Narrationes longè ſuperarent. Di-

ceres

ceres certè, si illa omnia quæ hisce oculis vidi, aspectibus tuis occurrerent, totam Insulam in BEDLAMUM mutari NOVUM. *Hom.* Ehu! unde hoc obsecro? *Morisco.* Ab insania vel insolentia quorundam; qui fæces licèt sint populi, à *Potentioribus* occultiore subsidio fortiùs stipati, vel spe lucri subtiliùs illecti, animosi fiunt *Hectores.* Et isti plerumque profitentur se *Septimanæ Monarchiæ* assertores, vel *Phanaticos*, vel* *Presbyteros* de nefaria illa spuma sive spermate prognatos. *Ho.* Quos laqueo meo destinatos machinor: sed scire vellem in qua parte Aquilonis fuisti versatus: & quot Proditores in omni Comitatu vidisti suspensos. *Mor.* Ad unguem repetam: in nullo prorsus tibi defuturus ero, quo itineris nostri rationem reddam. Primum mihi parabatur hospitium in APULBIA, illius partis Comitiali Oppido. Hospitium, inquam, vile, arctum & exile; ubi magis exsolvi pro Cubiculo, quàm Cubiculum valuit in pretio. Permultos infimæ conditionis verdictâ Juratorum damnatos ibi audivimus, perpaucos verò patientes. Fatebantur enim se illectos ac miserè deceptos fore pessimo *cujusdam* consilio, cui facilè acquiescentes in

* *Nullum magis fidelem invenimus subditum quàm Catholicum; nec perfidum magis quàm Presbyterum.* Cassand.

tale præcipitium temerè corruiſſent. Illi verò qui laqueo peribant tam inopes & indigentes erant, ut veſtimenta eorum Carnifici parum incrementi adferre poterint. *Hom.* Magnoperè gaudeo me in eo Comitatu officium non præſtitiſſe. Altior ſuccreviſſet ſumptus itineris, quàm merces operis. *Mor.* Antiquiſſimum revera eſt oppidum & amœniſſimo ſitu decoratum, ſed valdè inops & egenum; quod inertiæ populi, vel inopiæ Commercii attribuendum judico. Flumina enim ſunt latiùs dimanantia; Paſcua gratiùs lætantia; Solum gramini & ſemini accommodatiſſimum. Nil verò in ea regione oculis meis magìs complacuit, nil acceptius obvenit, quàm benigniſſimum cujuſdam prænobilis *Heroinæ* hoſpitium, Advenis maximè gratum; Oppidanis, quibus nulli indigentiores, munificum. Mirabar conſpicari ſpecioſa ea Domicilia tali apparatu & proventu inſtructa, tot artificia ſplendidè diſpoſita, una manu, unius ſumptu affabrè completa. *Hom.* Quò mihi iſta ædificia? cum *laqueis*, non *laquearibus* noſtrum eſt negotium. Ab eo loco brevitèr narra quò divertiſti. *Moriſc.* Abſque diverſione ad EBORACUM veni, ubi Unum vidi, (& unum inſtar omnium) cujus Authoritas in ſæviente illo tempore *Olivari* in altiorem proceſſerat gradum (quis enim

RIME-

RIMERO ſublimior) adjudicatum funi, infortunii ſui miſerrimo fini, expectabat tamen *Indulgentiam*, ſaltim longiùs commorandi ſpatium, uſque ad ſuperiorem Crucis Scalam; at ſpes iſta eum fefellit: nec prece nec pretio talem gratiam acquirere potuit. Sic una hora abſtulit quicquid ætas attuliſſet; reddendo Carnifici & mendicanti Aulico omne illud lucrante manu ſuâ extorſiſſet. *Hom.* Dic amodò quid Carnifici reliquit? Num pulchras veſtes habuit? *Moriſc.* Haud pretioſas nimis ſed decoras, quales condicioni ſuæ competerent. *Hom.* Meherculè iſtud mihi placet: invidiâ enim diſtortus eſſem, ſi ullæ opes homunculo profeſſionis noſtræ tam ignaro occurriſſent. Artificibus peritis, non tyronibus talia ſunt reddenda. *Moriſc.* Audivimus te in cuneis & nodis maximè diſertum. Aurem verò ſi attentiùs arriges, plura audies. *Hom.* Nemo libentiùs. *Moriſc.* Tam benignè ſe geſſit erga tumultuantes Spiritus Princeps ille noſter *Eugenius*; ut faciliùs norunt immeritâ illius Clementiâ abuti quàm uti; depravare quàm promereri. Attamen, quod mirabile fuit, Judices in publicis viis patibula erigi mandant, quo alios à perpetrando malum deterreant. Volentibus verò delinquere nulla lex tam ſevera, nulla tam gravis pœna, quæ eos om-

ni nequitiæ deditos deflectere potuit vel dimovere. Meliora vident, deteriora sequi cupiunt. *Hom.* Illa ipsa cupiditas est quæ *professionem* meam reddidit opulentam. Quid enim de me fieret, qui tanto pretio *officium* emercatus sum meum, si alii aliorum *suspendio* terrerentur? In tempore *Heri* quàm plurimos novi Crumenas secantes & alia nefanda perpetrantes sub calce patibuli. Si nulli enim præter bonos & legales homines nobiscum viverent, officium nostrum nullius valeret; imò, propriis jugulis servarentur funes. Quò restes, si integri solùm & probi essent superstites? Desuente culpâ, deficeret pœna. Soli rei manibus nostris censendi sunt præda.

Mor. Magnoperè te fallis; nosti *reos* in tempore *Olivari* unicè evasisse impunitos, *innocentes* vero suppliciis subditos. Iniquissimæ hujus Justitiæ testes erant *Cantuariensis* ille *Præsul*, vir in *nomine* non minus *laudabilis*, quàm injusto *omine* misere abreptus; fidelis etiam ille subditus *Slingbeus*, & præclarus noster Theologus *Huetus*: Quorum nefariâ morte, clade imò, colligi potest *Fidelitatem* sufficientem puniendi fuisse culpam. Sic *Columbæ* perierunt innoxiæ; immunes transierunt *Cervi*. *Hom.* O fælicia tempora! Tam prosperè succedentes horas ab exitu illius tyramidis non inve-

invenimus. Funi-artifices noſtri tunc efflores-cere nôrunt. Opinor certè perbrevi nos tem-pore amiſſuros eſſe artem *Suſpenſionis*, ſi iſta *Indulgentia* diutiùs proficeret. Certè me pa-rum profeciſſe ſenſi.

Moriſc. Parum hoc Publico commodi ad-ferret, ſi te parum profeciſſe ſentiret. Quoti-die naſcitur numeroſa Carnificum turba, quæ te ſuſpenſo, tali artificio operam darent. præ-ſtarent imò. Num nectere nodos tam difficile eſſe putas? *Hom.* Toto cœlo erras; Plura quàm funes aut ſcalæ profeſſioni noſtræ ſunt adhibenda. Iſtæ manus ſæpiſſimè ſuper fatalem eum *Turris Collem* Securi huic cruentæ de-dere aciem. Cujus acutiore motu tot obtrun-cavimus Capita, tantâque peritiâ & dexteri-tate, ut non citius ſuper *ſtipitem* poſita erant & coaptata, quàm minimo actu & ictu temporis fuerunt abſciſſa. At lucrantia ea diſparuerunt tempora. Nunc enim talis *Ceſſatio* noſtris ne-gotiis ſeſe objecerit, ut inſolitâ quadam rubi-gine cultra & utenſilia alia iſti Halcyonii dies penitus obtuſa reliquerunt. *Moriſc.* Hinc ma-niſeſtè colligo te ab aliorum interitu proventus hauſiſſe tuos. *Hom.* Quid certius? Ab infan-tia educatus ſui in hac arte, nec aliam novi; manum exercui in primordiis meis circa Canes & Feles, donec in altiorem cognitionis gradum

assiduâ Exercitatione attigissem. Quam quisque novit artem, hanc ipse exerceat & excolat unam. Nunquàm novi aliquem varias artes profitentem multum profeciſſe. Vocationi constantèr me applicui & virilitèr me gessi. Facilius enim fuit de pumice quàm de oculis meis lachrymulam elicere. Nullum retinui sensum de præmatura nece cognati vel familiaris mei. Hoc unicum beneficium ei præ cæteris conferre sui solitus; nempe in expeditiorem plicando & applicando nodum Amico quàm Alieno. In qua Facultate neminem me superiorem fuisse arbitror. *Moriſc.* Hinc te benigniùs gesſisse erga tuos (si tuos dicere liceat) apertè calleo. Sed in hoc te nimis rigidum censio, quod tam diu vivere eos non permitteres, quoad tibi gratias pro tanto beneficio eis collato retulissent. *Hom.* Lepidè te geris; sin sub manu mea viduâ & liberis desertis tuis infortuitò venires (ut fata sua quis præscire potuit?) tali te facetiâ præditum haud invenirem. In *Tabernis* Hectorem licèt te gesſisti, ab aspectu *Tiburni* trepidum & tremulum te Leporem, omni lepore dimisso, ostenderes. Nemo, ni fatuus, vel vino, ut sæpissimè evenit, inflatus, qui sub laqueo joculari voluit. Non datur tidendi vel rixandi locus. *Morc.* Quam plurimos tamen nosti egregios prædones, qui Carnificis vul-

vultum terribilem licèt, parum ſpectarunt.

Habuimus *Crouderum*, *Hindum*, *Farmerum*, Eumque præ cæteris atro carbone multociès notatum, *Ratsbæum* nempe, qui in Trahem conſtans, poſtquam Confeſſionem integrè compleviſſet, valde ſuſpirans, ac ſi quiddam in pectore fuiſſet clauſum, quod non revelaſſet, importunè *Mariſcallum* poſtulabat ut ei licentia detur aliud detegendi, quod ſtimulante dolore, conſcientiæ ſuæ graviùs inhæſerat. Quâ datâ, cum nihil omninò ad propoſitum narraret, "Ef- "fare, inquit *Mariſcallus*, ſi quid in corde lateat "quod impartiri cupis. Ingruit *tempeſtas*, nu- "gis igitur non immorandum eſt. Ob eam "cauſam moram texi, reſpondebat ille, ut li- "quidas veſtes relinquerem, cum irriguos ocu- "los relinquere non poterim. Funera mea ve- "ſtes comitentur humidæ, licèt oculi ſequan- "tur ſicci.

Hom. Perlepidè ſe exteriùs geſſit, neſcio quid intùs ſenſit, Mortem in hoſpitem blandulè ſuſcepit. *Moriſc.* Nec facetè ſe minùs geſſit in vita. Audivimns enim ab iis qui eum nôrunt, quod nullam ſurriperet burſam abſque honore ei collato à quo nummum ſuſtulit. *Hom.* Quem honorem obſecro? *Moriſc.* Evaginato gladio *Militem* faceret, cujus fortunam virilitèr imminuiſſet. In juvenili etiam tem-

tempore deprædationis, priuſquam fama illius latiùs percrebuiſſet, conſtans ei mos fuit Cytheram vel Tibiam ſecum portandi, in quam ludendo Viatorem in Choream duceret, antequam manticam ejus attractaret. Tam feſtivus & feſtinans erat Comes in viatoris diſpendium. *Hom.* Muſicus certe fuit ille latro, ſed perbrevi ſpatio artem in *tricipitem arborem* amiſit. Quò tandem ut funem ſuſcepit, iſte militaris ordinis inſtaurator evaſit? Quò iſte Muſicus erupit? A primo aſpectu licèt hilaris, in progreſſu lepidus, in exitu diſcederet triſtis.

Una Scæna in *Tiburnali* Theatro acta totam vitam hilaritèr tranſactam, lachrymabilem redderet: Inhumanum eſſet hominem miſeriam ſuam non ingemiſcere. *Mor.* Magnoperè te errare machinor. Forſitan illi quos meminimus, Opinioni Ethnicæ firmiùs inhæſerunt. *Hom.* Quænam illa fuit? *Mor.* Cogitârunt, vel delyrârunt potius Iſti, in *Elyſiis Campis* unum aut alium reſervandum eſſe angulum improbis æquè ac bonis, Sceleratis & Sanctis (quod clementiæ ſuperum ingenuè attribuerunt) ubi incolatum haberent ſuum. Non tamen ſine labore in iis angulis manſuri eſſent. Injunctum enim uni fuit (ut illi Phanatici Somniârunt) greges paſcere; alteri paſtinare; nemini verò de *Malignis* otiari. Qui ut Ardeliones, & Leno-

nes

nones vixerunt in Terris, non admittendi ſunt agere Limaces in *Elyſiis Campis.* Interea talis ſi vivendi licentia Bonis eſſet conceſſa, ut non ſolùm eximerentur à labore, quin etiam omni, ſine ullius Cenſoris acrimonia, indulgerent voluptati. *Hom.* Gratiſſimam eam fuiſſe Opinionem procul dubio, arbitror, Captivis noſtris morti adjudicatis, ſi Elyſiis ſe Habitantes ſperarent. *Mor.* Nec minùs ſe ſperaſſe *Clavellum*, ingenioſum eum Latronem, opinor. Quàm animoſum ſe geſſit, cum laqueo ſine minima ſpe veniæ cenſendus eſſet! *Hom.* Ope tamen & operâ Amicorum pœnam evaſit.

Mor. Quod ipſe penitus neſcivit: neque pœnam ut evaſit, operam perdidit; Medicinali enim arti, nec non Cauſidici praxi ſe illicò applicuit; in quibus maximè profecit. *Hom.* Mitte iſta quæſo. Hoc ad me parum attinet. *Mor.* Accommoda aurem leniter, & dimiſſis hiſce nugis, narrabo quæ tibi placeant & proſint. *Hom.* Quàm ſitulæ ſunt aures meæ talibus Oſtentis! *Mor.* Audiſtine de quodam plebeio proditore, * ATKINSONO nomi-

* *Ille quo vitam incolumem tueatur, in Accuſatorem multorum proceſſit. Sub quo prætextu plurimos fefellit, ſeſe verò maximè. APELBIÆ enim Comitiali Oppido WESTRIÆ laqueum ſubivit: immaturè nimis veniente* Indulgentiâ, (*Veredarii intenta tarditate*) *proximâ die poſtquam proditionis panas ſuſtinuiſſet.*

ne

ne appellato? *Hom:* Quid de eo? *Mor:* Quid non de eo? paratus est, ni fama mentiatur, *Securi* tuæ, vel alterius *Laqueo*, non solummodo *Myricas* quin *Cedros* judiciali censu tradere.—Non inferiora sequetur. Virgas in urina habet repositas. Et *Molossos* æquè ac *Catulos* cædent. Multa latent, quæ non patent. Perbrevi tempore detegentur omnia. *Hom.* Optima nobis arridենt omina. *Mor.* Tremunt qui altè sedent. *Hom.* Sin sub manu meâ sedeant, haud diu tremiscent. Remedium in promptu habeo, quo omnes tremores ictu citius sunt sanandi. Nemo unquam tali dolore vel infirmitate laboravit, cui medicina à *Tiburno* præpoperè non subvenerit: celeriùs imò quàm optaverit. Unus surculus illius Arboris multo validior est omnibus Empyricis. Isti enim fallacia eorum pigmenta, adulterina Olea, & exotica unguenta publicâ voce reddunt venalia. Multa promittunt, parum proficiunt. Languentes imò in graviorem condicionem redigunt, quàm susceperunt. Officium eorum est crumenæ venas æquè ut corporis exhaurire. *Paracelsi* verò nostri alium, eumque expeditiorem tenent cursum. *Morisc.* Mortiferum te medicum satis superque novimus. *Hom.* Mitte laqueo medicinam meo. *Mor.* Apage! Quo missurus es reos; num ad inferos? *Hom.* Ne-

Nequaquam. Plures Animæ pervolârunt ad cœlum de *Patibulo* quàm *Cæmeterio*. *Moriſc.* Subtilitèr arguis. Nullæ enim Animæ exeundi de Cœmeterio licentiam habent. Exierunt priuſquam eò venerint. *Hom.* Neque hoc unicè accepturi ſunt beneficium, quin majora etiam. *Mor.* Quænam obſecro? *Hom.* Ni cœcus vel ſurdus eſſes, ingenuè fatereris neminem unquam tam triſti vel depreſſo aſpectu ad Furcam veniſſe, qui more* *Cygni* ante obitum non alacritèr cantaret. *Mor.* Ne dicas alacritèr. Lachrymabiles potius quàm alacres tales reſonant voces. Illi *Cygni* quos tu refers, in Cantu mortem præcinendo auſpicantur, & in eis præſagiis lætantur. Fata ſicut evitare nequeunt, divertere ea non vellent ſi valeant. Quem verò in omni Latronum tuorum turba invenies, qui talis Cantionis ſuavitatem (licet *Philomelæ* vocem ſuperaret) non amitteret; modò liber evadat, & ab ea canina nece jugulam eripiat? O quàm hilaritèr audivi captivum, pallido vultu, attrito veſte indutum, in omnibus miſerum, *Liberationis* vocem avidè ſuſcipientem! Nihil tamen in eo videre potui quod vitam

* *Funera ſunt volucri gratiſſima nuncia* Delphi; *Flumminis ut cecinit littore Cygnus obitu. Salv.*

abſ-

abſque faſtidio expetat: vel acceptam tepidè non afficiat. Sicut enim nemo tam ſenili ætate confectus ac confractus eſt, qui ſe non alterum victurum annum ſperat; ita nemo tam miſerè vivit, qui mortem foris pulſantem & intrare luctantem, quàm diu vires ei conceſſæ ſunt, non repelleret. Tam ſuavis eſt ſpes vitæ; quàm miſera, ſi adempta? *Hom.* Novi tamen quendam in *Novo-portenſi* Carcere manibus pedibuſque ligatum, & comitiali judicialique cenſu poſtea morti adjudicatum, tam levi formidine fuiſſe perculſum, ut vitam ſibi oblatam penitus relpueret. *Mor.* Hoc mirandum ſatis eſſe non potuit. Certè vel fortunam ſibi inimicam fecerat, vel lethali aliquo morbo ſe laborantem ſenſerat, vel tale beneficium nunquam negligeret. Quo verò utebatur medio, deplorabilem recuperandi vitam? *Hom.* Si nondum audiſti, brevitèr referam; quædam erat muliercula, parum formoſa, ſed Captivi illius ſalutis valdè ſolicita, perditè enim eum amabat. Nec operam perdidit; perexiguo enim temporis ſpatio, *veniam* illi acquiſivit; modò ſe in matrimonio ſibi conjungeret. Qua gratiâ relatâ, licèt aliis fortaſſè gratior ſonuiſſet, tantoperè *Condicionem* horruit, ut ab aſpectu mulieris primo aſſeruit, "Se mille ſuſpendia libentius ſubiturum fore, quàm tali deformitatis moli

"moli desponsari. Nec ab ea opinione avelli seu averti poterit; ignominiosam præferens mortem fastidiosæ vitæ; laqueum amplexi- bus Odiosæ sponsæ. *Mor.* Strenuè certè magis quàm consultò fecit. Externus licèt minùs amabilem se ostenderit, solicitudo illius Captivi ampliorem præ ceteris ardorem merebatur. Quis, si mentis compos, vitam, licèt ab invisa manu ei porrectam, respueret? Mulieri illæ multum amanti, quamvis parum amabili, ingratum, & saluti suæ inimicum se gesserit. Lectum perosum contumeliosæ morti quis non præponeret? *Hom.* Ille ipse de quo loquimur multo alitèr cogitabat; quem nec fames nec vincula superare poterint. Imò tam morosæ & contumacis erat naturæ, ut nulli Consorti sese humanitèr applicaret. Memini me uno die in carcerem, ubi detentus fuit, venisse; et post paululum temporis hilaritèr bibentem audactèr me accivit ad *luctam*; cui responsum feci: "Deferatur lucta donec convenerimus ad *Ti-* "*burnum*; et si ibi me viceris, facilè acquies- "cam.

Mor. Procul dubio in eo *fatali loco* citissimè finiretur palæstra. *Hom.* Rectè dicis, nam intra paucos dies, licèt de viribus suis juvenili ætate maximè stipatis (spretâ senili puellâ) sub laqueo finire vitam cogebatur. *Morisc.* Mul-

ta

ta argumenta, sæpissimè audivimus prolata de genere mortium Captivorum; num facilius esset *funi* sive *securi* succumbere; sed tot *sensus*, quot *Capita*. *Hom.* Magnoperè errant, qui hoc sentiunt. Multa enim *Capita* publicis portis suffixa, *sensu* carentia videbimus. *Mor.* Callidè arguis. *Hom.* Sed verè. In amputato capite quem sensum invenies? *Mor.* Sensum revera nec *Capitis* nec *Criminis*. Sicut enim in moliendo, ita in moriendo parum sensus retinent Traditores. In via (cui consuetudini minùs arrideo) ad mortem bibunt, donec obliviscantur mortem; in hoc unicè *Epicuri* opinioni assentientes, post hanc vitam nec *voluptatem* fuisse nec *pœnam*. *Hom.* Erroribus suis involutos facilè relinquamus. Profundant, perdant, periant; nihil ad me spectat. Corporis non Animæ cura mihi relicta est: In uno, & unicè in uno certiorem fieri vellem. *Mor.* In nullo tibi defuturus sum. Detege nodum, & enodare quæram. *Hom.* Ex dictis tuis collegi plures esse proditorum *Detectores* quàm *Proditores*: Num spe lucri vel conservatione fidei eò fuerunt illecti? *Mor.* In utrumque finem eos certasse arbitror. Illi verò qui lucrum in supremam habuere metam, expectationi suæ minimè satisfeciisse fuerunt noti; quamvis maxima emicuit *Eugenii* gratia in honores

eis

eis conferendo, indigentes tamen receſſerunt, parum proventus accipientes. Quò valent *honores*, ſi deſint *redditus*? Iſti nudi & indigentes parum annonæ domibus ſuis adferunt. Multi depreſſi honoris onere miſerè gravantur; multi honoris onere nudati intimè levantur. *Hom.* At opulentas ſæpiſſimè uxores ſibi ipſis pariunt: Talis ſemper fuit fœminina ambitio, ut nullâ eſcâ illudi nec faciliùs illaqueari ſolet, quàm fallacis titulo honoris. Aliis præferri & præire ſummoperè iis delectabile eſt.

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.

Ad convivia exeuntes primas ſedes occupant; optima fercula præ cæteris eligunt & guſtant. Splendido & ſpecioſo ambitu foris coeunt: ſummum quocunque tendunt obſequium expectantes.

Quàm facilitèr falli, libentèr ſe pertulit mulier Honoris fuco ſufflata, vel præ cæteris formoſa! Omnium Spectatorum oculos in ſe fixos & intimè captos autumat. Quàm ſupercilioſo geſtu, utì *Fuvonis Avis*, incedit! Tantoperè geſtit de repentino Honore quem à *plumigero Conjuge* accepit.* Aliæ (ut aviculæ

* *Aliæ Fana convertunt in Cubicula; Alia Cubicula in Fana, nullis proficua, in omnibus prophana.*

unius pennæ frequentiùs coeunt, & similitudine morum congrunt) Templa introeunt, ubi sciſſuris veſtium & ſericis citiùs quàm ſacris Ceremoniis oculos ſpectantium allicere geſtiunt: nec ſpecioſum juvenem proſpiciunt, quem earum aſpectu capi non quæſitant: nec deſuit pulvis *Gethſemana* comis, nec *ceruſſa* genis, modò procaces pelliceant procos. Jugeres ſuper humeros levitèr portant: & in fine ſponſales Titulos *ſub Haſta* reducunt. *Mor.* At melius eſſet uxoribus carere, quàm deſponſari carentibus dote: & honoribus exui, quàm titulis inanibus ſine prædiis onerari. Et in tales plerumque cautes *Detectores* noſtri incidunt. Maxima ſibi-ipſis promittunt in Rure, ſed exſuccæ inveniuntur ſpongiæ in Urbe. Sicut Umbræ huc & illuc diſpatiantur in Plateis, ſed abſque ulla Obſervantia tranſiunt. In Aula parum ſpectantur: vel enim non creduntur ea quæ narrantur; vel Aulico palato minùs ſapiunt quæ deteguntur. Imò magnoperè cavendum eſt ne aliquid in Magnatum injuriam proferatur. In *Scandalum magnatum* incidere periculoſiſſimum eſt.

Novi quendam Septentrionali parte genitum, qui poſtquam diu & multum laboraſſet in detegendo Proditionis tam Aſſertores quàm Authores nuperiùs exortæ, præpopero curſu ad

ad Urbem perexit. Poſt paululum temporis (ut in * *Annali* nobis lepidè traditum eſt) veniens ad Aulam, manifeſtum fecit quàm ingenuè & alacritèr ſe geſsiſſet in aperiendo illius *Conjurationis* originem & progreſſum. Ibi diu commorabatur quotidie expectans operis ſui mercedem. Sed levi aurâ illuſus, quando ne tantum acquirere potuit, quantum expenderat; unâ ſtatuit die ad Urbem recedere: & ex propoſito veniens ad Locum ubi veſtes cujuſque generis erant venales: poſtquam Officinæ cuſtos (quis enim tali Sartore officioſior?) Indumenta ſua produxiſſet, canorâ voce clamitans; *Quid emptura eſt Dominatio veſtra? Nitidæ hìc coemendæ ſunt togæ, tunicæ, pallia, veſtimenta à capite ad Calcem fœminis æquè ac viris accommodatiſsima. In promptu habemus parata, quæ de* Ruſtico Generoſum *facient: de* Corydone Aulicum.

Cui non aliud reſponſum quàm hoc ipſum dignatus eſt reddere: "Abite vos veſtes Ty-"riæ, Phrygiæ, Sidoniæ! Quid ego vobiſcum, "aut vos mecum? Oſtendite mihi *Fatui Pile-*"*um & Stolidam Tunicam*; talis condicioni meæ "competit habitus. Multum laboravi, & operam "perdidi; Diu Aulæ commoratus ſui, & ni-

* *Mancin. in Annal. Facet.*

"hil acquisivi: aureis promissionibus me pavi "& perii. Quis igitur tali habitu digniorem se "æstimet?

Hom. Quam lepidè se illudi permisit! Talem revera promerebatur habitum, qui Urbi & Ruri se in tale exposuisset ludibrium.

Mor. Meherclè opinor (& ab hac opinione perpauci dissentient) si omnes qui in hac *Terra Promissionis*, tali modo illusi sint, stolido eo cultu essent induti, in tantum pretium & valorem istæ mimicæ & variegatæ exurgerent vestes, ut nullæ iis haberentur * pretiosiores. Sicut Stultorum plena sunt omnia, ita multo apertiùs ista Stolidos delinearent Insignia. *Hom.* At parum commodi tales mihi allaturæ essent Tunicæ. Mallem citiùs inire commercium cum Phanaticis & Presbyteris (*Catalinæ* in pectore Effigiem gerentibus) in ære sunt ditiores & vestitu cultiores. *Mor.* At triste quiddam de Præsbytero narraturus sum, quod te magnoperè premat. *Hom.* Triste quid de eo narrari potest? Nil tam grave *facundo* illi *Proditori* unquam obtigit, vel obtingere potest, de quo intimè non lætabor, modò dispendium laqueo non adferat. *Mor.* Dic mihi ingenuè, nonne ex animo optares omnes *istius farragi-*

* *Frequentia gerentium redderet Habitum charum & carum.*

nis inveniri reos hujus ſubortæ Proditionis? *Hom.* Quid optatius? *Mor.* Et tibi quid infælicius? Hiſce enim auribùs audivi Quendam (Eumque ſpectatiſſimum curiæ * Præſidentem, Præſidium & Præſidem) publicè profiteri, ſe certum fieri ne ullum *Presbyterici Ordinis* huic Conjurationi fore cognitum. Tam fortem ſePugilem & Satellitem in *prurientis* illius *Profeſſionis* gratiam offerre non erubuit. *Hom.* Quis pro ſeipio arma non ſuſciperet? Quis in defenſionem Cauſæ cui intimè faveret, Vindicem ſe non oſtenderet? Nemo tenetur accuſare, multo minus prodere ſeipſum: nec minùs turpe eſt proprium conſpurcare nidum. Haud dubitandum eſt, quin de eodem Puteo quam hauſiſſet. *Mor.* At *noli me tangere* Præpotens monet, dum Debilis languet. Aliorum *diſcrimina* ſunt nobis *documenta*; aliorum *pericula*, nobis *præcepta*. Exemplis optimè ſumus moniti & muniti.

De quodam homine valdè conſpicuo, nobili familiâ prognato, ore facundo, egregiâ ſpecie, integerrimæ famæ in * *Annalibus Majorum* ſæpiſſimè legi. Nec exemplum memoratu indig-

* *Præſidentem ab Ephori ordine; Præſidium à Populi opinione; Præſidem ab officii inſtitutione.*

* Beroſus *in Annal.*

num habeatur. Iſte vir eximiis dotibus imbutus, & ſingulari gratiâ Principis eo tempore florentis maximè acceptus; diu commoratus eſt in Curia, magnis multiſque donatus honoribus, quos omnes ex probitate & modeſtiâ ſuâ optimè promereri videbatur. In hac affluentia famæ & fortunæ invicèm colluctantium tam tutè & ſecurè diſcubuit, ac ſi ei conceſſum à Superis eſſet ſupra impetum inimici fuiſſe ſitum, & amicorum numero tantoperè ſtipatum, ut pluribus non indigeret. At rotâ fortunæ perbrevi temporis articulo mutabili vultu versâ, (ut Magnatibus * æmulis ſæpiſſimè evenit) ſurrepſit Quidam in Curia ſubtilis & verſatilis ingenii; qui humili licèt & obſcurâ origine natus, in Conſularis dignitatem ordinis, ſummâ prudentiâ ſuâ, & in publicis peritiâ, (præcipuè verò colligendæ amicitiæ gratiore artificio) attigiſſet. Iſte verò Magnus gratiâ Imperatoris abuti ſolitus, ab eo integro Primate, quem ſuprà meminimus, accuſatus fuit. Multa, eaque gravia in Conſulem erant objecta; & non ſo-

* *Multi ſunt, nec inferioris ordinis, de quibus nulla alia ratio adhibenda eſt, quia in altiores honoris gradus non ſurrexerunt, quàm quod genuina quadam modeſtia, & Competitoris impudentia eorum animos à ſurgendo æmulantibus ſtimulis fortiter detinuerunt. Vide* Plut. *in vit.* Tiberii.

lùm

lùm allegata ſed probata. Sed quò iſta omnia? Tali artificio benevolentiæ colligendæ prædi-tus erat, ut Judices ipſos quorum ſententiâ vel liberandus vel cenſendus eſſet, præmiis ſibi conciliaſſet. Nec non Imperatoris clementiâ, multo gratius quàm merebatur cauſa, non ſolùm veniam ſed majorem acquiſcivit gratiam. Imò, quod mirandum ſatis non eſt, Aulicorum quorundum conſiliis, quibus integerrimi illius viri probitas ac morum ſobrietas parum arriſiſſet, intra paucos dies (injuſtis eorum querelis acquieſcente Principe) excluſus erat finibus Curiæ: Hoc modo pro veræ virtutis præmiis falſi ſceleris pœnas ſubivit. *Hom.* Sic Labruſcæ creſcunt, generoſæ Vites decidunt. *Mor.* Hinc colligo, quàm periculoſum eſt Detectoris vel Accuſatoris ſubire officium, ni altioribus ſuſtenteturFulcris quàm debilitari, vel fortioribus Athletis repelli valeant. Sed iſta *Superioribus* ſunt relinquenda. Nunquam novi ullam *proditionem* talem in gradum exurgentem, quæ licèt * occultioribus artibus fuit palliata, in lucem non venerit vel accuſatione Detegentis, vel ingenuâ agnitione Molientis. Semper una

* *Quàm plurima ſunt abſcondita Proditoris arte vel artioribus nervis, quæ ſi pueret Artifici* Damoclis *finem in funem diſtenderent.*

ſive alia elicienda erat rima, de qua prorepſit (ſic Fata volunt) proditoris ruina. Sed nequaquam tibi extincta ſit ſpes plura acquirendi ſtipendia ex eo *officio* quod tibi & aſſeclis tuis incumbit. Novus es Artifex, et novo Fabro incrementa expectanda ſunt nova. *Hom.* Quæ Regio in terris tam benignè laqueis afflatura eſt noſtris? *Mor.* Tranſmarinas ſi diſquiveris oras, illicò invenies; Eò aufugerunt quàm plurimi illius cœtus ſurrepentes Catuli; qui in Præſepibus latentes, licèt nec *latrare* nec *mordere* audeant, ſi eò tempora ſævirent ut ſeditionis nova coòriretur ſeges, nullos in agendo promptiores, vel machinando argutiores reperiremus. *Hom.* Quinam illi? Certè novi præcipuos neſariæ illius farraginis ſub manu *Heri* mei diutiùs interiiſſe. *Mor.* Hoc nihil verius eſſe fateor: attamen ſicut in vindemiali tempore quædam marcidæ & putulentæ uvæ, paſſim ſunt ſparſæ; ita Transfugæ ſunt ejuſdem ſtirpis permulti in remotioribus diſcurrentes partibus, quorum conſilia & molimina *Securis* aciem æquè ſunt promerita inter peſſimos qui antehac proditionis ſuæ luerunt pœnas. Ubi obſecrò latent pernicioſiſſimus ille LUDLO, ſceleratiſſimus ille ſacrificulus RUHARDSONUS, qui in *Comitatu* quo vixit, *Pulpita* primùm effari Seditionem docuit: & in proditionem

nem apprehendo Roſtra perſonare fecit? tali more dominatus eſt iſte *homuncio*, ut Fana prophana, Loca Sacra, Tumultus Seminaria redderet. Ubinam etiam impudiciſſimus ille GOFFA, qui *Circumgerronis* Titulum meritò ſibi arripuit, à ſpargendo ſemina teterrimæ proditionis ſuæ? Ubi WHALEIUS, quo nemo in judicio debilior, nec in res novas moliendo acrior unquam extitit? ut taceam *Sutorem* illum proditorium HUSONUM, cui finem Natura impoſuit vitæ, non ignominiæ. Sanguinolentum etiam judicem eum LISLUM *rubro Charactere* ſemper denotandum; cujus ſævitiem nec *Conſulatus* nec *Comitatus*, de viribus *Trium* unicè *Stratiotum* (quorum memoria à nobis fidelisſimè retinenda eſt) eripere poterint! *Hom.* Quò iſta? parum lucri mihi adferent; in longinquioribus locis conſiti ſunt quàm * *linea* mea pertingere valeat. Tales *Adjuratores* invenerunt iſti *Proditores*, ut in gremium nunquam lapſuri ſunt meum. *Mor.* Ne te fallat timor tuus. Meminiſti certè (nuperiùs enim contigerit, de memoria igitur facilè exilire nequit) egregios eos Conjuratores, BAXSTERIUM, OKEIUM, & CORBETIUM, Patrias reliquiſſe Sedes, ad exteras

* *Tiburnina linea peregrinis nimis curta.*

con-

confugiſſe Gentes, ubi ſe reperturos *Aſyla* (Latibula ſaltim periculis libera) integrè ſperarunt, vanâ tamen ſpe illuſos ſe agnôrunt. Sicut enim ſecuritatis gratiâ ad alias fines erant tranſvecti, ita in fine contumeliosè ad nos erant redacti, ubi corpora laqueis, viſcera flammis miſerè obtulerunt. *Hom.* Utinam hiſce *Transfugis* talia occurrerent Fata: Valdè autem vereor tot *Fautoribus* eos ſtipatos fore, ut huc eos remiſſos ægrè permittent. *Mor.* Ne te hæc teneat opinio. Nulla eſt Regio longiore licèt ſpatio Inſulæ noſtræ diſita, quæ ex amore vel timore ſeſe non obſequentiſſimam votis & officiis noſtris reddet. Audis procul dubio de inſtructiſſima, invictiſſima imò *Claſſe* noſtra, cui in nullo tempore *compar Neptuni* imperio fuit tradita! *Hom.* Quid de ea? *Mor.* Quid non de ea! Cujus fama longè latéque diffuſa eſt, & tantopere diſperſa, ut ab illius ſonitu, quaſi inſolito quodam terrimotu, tota contremuit HOLLANDIA. Unde à primo aſpectu colligi poteſt, ſi ullos proditores illius ſortis huc uſque in ſinubus eorum tacitè ſervârunt (tali quotidianâ febri laborant) quod omni morâ poſtpoſitâ, celeriùs neſcio an alacriùs, *Tenebriones* eos ad nos remitterent, modò multiplicibus inſolenciis ſuis indulgeremus, vel conciliatos ſeſe nobis rediderent. At injuriæ tam graviter perpeſſæ le-

viore

viore manu nec leniore mente ſunt compenſandæ. Noſtræ manus ingratiſſimam hanc Gentem ex pulvere ad potentiam eduxerunt, è penuria ad opulentiam perduxerunt. Sed quàm *certa* licet *ſera* Superûm conſtant judicia! De "ſtercore ereximus, & ad eandem materiam cum "Muſcis & Cantaridum turmis, quarum "Emblemata ſunt, reduximus. Tali pavore, utì Lepores tremuli, ſunt perculſi, ut *Lardum* & *butyrum*, aut quicquid ſibi maximè charum, in *prohibitum cibum* libentiſſimè denunciarent, modò formidoloſæ Expeditionis noſtræ impetum evadere poterint. Sed tam levi tranſitu non evaſuri ſunt pœnas: patientia læſa fit furor. Graviſſimi nobis fuerunt Debitores, Nunc verò poſt multas inſolentias procacitèr illatas, ultionis hora appropinquat. Tantum ſolvituri ſunt pro piſcatura Halecum, tantum pro detentione & direptione Navium, tantum pro diverſione commercii noſtri in extraneis locis; pro omnibus his & multis aliis injuriis difficultèr digerendis ratio eſt reddenda & retributio adhibenda; alitèr præter flammam & faſcem nil expectandum eſt in *Hollandia*. *Hom.* Nuperrimè relatum eſt quandam prodigioſam creaturam in ea Regione apparuiſſe, *Cometæ* nomine appellatam, plebæis valde terribilem, *Nautis* præcipuè, talem enim Speciem in mari; ubi

ubivi nati & prognati plerumque ſunt, nunquam ſe vidiſſe aſſerunt. *Mor.* Nil verius. Multo facilius iis eſſet in mari *Cetum* quàm *Cometam* conſpicari: Ille Salo, iſta Cœlo deſignatur. *Hom.* Hæc ſcientiam meam longè exuperant; ſupra *Scalam* enim *Patibuli* nunquam mihi licuit conſcendere: Scire tamen à te vellem de qua ſtirpe iſtæ oriuntur *Cometæ*, & cujus generis ſunt dicendi, an *Maſculi* an *Fæminæ*! *Mor.* Quam inſipidè me ſcisſitaris! Te *ſtolido* illi optime aſſimilari arbitror, qui publicè aſſeruit hanc *Cometam*, in quam tota Europa oculos figit, *Cometiſſam* fore cujuſdam *collapſi Comitis*, qui nullam habens commorandi Sedem in terris, præmiſerat *ſponſam* ad æthera, ſi in ſuperiore Regione iis conducenda ſint habitacula, quæ in inferiore nuſquam erant reperienda: tam miſerè delyrant Ruſtici de aſpectu hujus ſtellæ. *Hom.* Quid autumant aut quomodò delyrant parum me movet; hoc certiſsimum eſt (ni famam mendacem nimis teneamus) *Hollandiam* graviore percuſſam fore metu quàm terribili aſpectu hujus *Cometæ* nunquam audivimus: Nec abſque cauſa iſte coortus eſt terror: nam verſus *Holandorum Poſteriora* (munda ſint ſubligacula precor) (uti in ultimo eorum Navali prælio contigiſſet) *Caudam* eam ferientis *Draconis* minantes tuos intorſiſſe radios narratum eſt. Quàm ſiniſtro

ſtro autem exitu illud certamen clauſum fuiſſe, quiſnam eo tempore vivens ignorare potuit? Sed quid hoc ad me! Ni Pyraticam exerceant artem, & capti, ſub imperio redacti ſint meo, parum mihi profiturum eſt eorum infortunium. Clamores naufragantium, ſuſpiria periuntium, lucrantes auribus noſtris ſuſurros non adferunt. De terra non mari redditus proveniunt mei. Navigia eorum marinis relinquamus Fatis, ſive adverſis ventis periant, ſive ad portum tutè veniant, parum ad me attinet. Manifeſtum tibi faciam (nec quicquam certius deduxi ab experientia mea) quomodo à morte Heri mei *Gregorii* in omnibus *nodis* ſatis experti, duo fuiſſe incommoda Officio meo valdè gravia. *Mor.* Quænam iſta? *Hom.* Primum eſt à *reatus remiſſione*, quando illi qui adjudicati ſunt rei, Amicorum potentiâ vel pecuniâ, Captivi Oratrice optima, de manibus meis ſunt erepti; & ad *Barmoudes*, vel *Barbados*, tranſmiſſi, ubi novam progeniem Latronum plerumque gignunt, prognatam ad nos remittunt. *Mor.* Hoc in commodum tibi vertatur. Latrocinio maximè tua ditatur vocatio. Si nulli eſſent Fures, Carnifices jugulis ſuis alligarent funes. *Hom.* Iſti interim *Transfugi* ſi redeant, tam nudi apparent, ut ne veſtem habent, qua officium meum compenſent. *Moriſc.* Vilis eſſet veſtis

quæ

quæ mercedem funis non valeret. Apprimè ſuboleo deſiderium tuum. Malles eos tranſvehi hinc ad *Tiburnum* quàm ad *Barmoudem*. Quod verò aliud eſt incommodum quo gravaris? *Hom.* Iſta aſſueta *Lectionis* conceſſio captivis laqueo adjudicatis permiſſa. Talis conſuetudo valdè diſplicet. Literatis pœnas evadere, & ignaris puniri, quid inquius? Impunè *legent*, modò *legant*. Quando in opinione mea, *Scholaris* ſi libro ſpreto profiteatur Furem, maximè omnium promeretur Furcam. *Mor.* Benè tecum fuiſſet ſi in tempore *Licinii* vixiſſes, quando omnes Literati de finibus imperii erant excluſi. At querelis hiſce remotis, monitum te haberem *Terminalis Seſſionis* tuæ. In qua ſicut *Cauſidicus* de lite pendente, tu de pendente fune pendes. Multo latior eſt Redditus officio tuo exhibitus, quàm meliori viro optimè ſufficiat. Interea, parum refert ſi *Securis* tua ſecurè dormiat & rubiginem contrahat, donec ſtolones multo clariores inſurgant, & Securi tuæ invitos ſe offerant. *Hom.* Crede *Moriſco*, haud citius proditionis ruinam ſugent & ſurgent, quàm Securem vel Reſtem in amoris mei teſtem paratam invenient. Vive & vale. *Mor.* Vale, & funem reſpice.

Regi qui perfidus, nulli fidus. Caſm. *cont.* Buch.

FINIS.

In Errata.

Tot *Errores* in omni angulo prægnantis hujus Insulæ pullulantes reperi, ut hosce Typis occurrentes minùs erubui.

Graviores corrigite,
Leviores dimittite.

De *Comico* me *Tragicum* reddidit prelum.

Afflet Typis gratia Conditoris qui regit Typos.

Calamus in manu,
Genius in mente.

Fund Library Associates

Collation
A-M^{8}

OCT 14 1953

Brathwaite, Richard

Author

Rare Book Room
Ih
B737
665

Call no.

Rare Book Room
Ih
B737
665

YALE UNIVERSITY

LIBRARY

Gift of the

LIBRARY ASSOCIATES